GRALLATOR FURENS,

De novo in Scenam productus cum Pantomimo ſuo, Bombomachide Vliſſingano:

Seu

Reſponſio ad Epiſtolas Guilielmi Apollonii myſtæ Mittelburgenſis, & Jodoci Lareni Eccleſiaſtæ Vliſſingani, quas in lucem dedere adverſus Grallarum authorem.

MALACH. 2. VERS. 3.

Ecce ego corrumpam ſemen veſtrum, & ſpargam ſtercus in facies veſtras, ſtercus ſanctitatum veſtrarum, & tollet vos ad ſe.



FRANEKERÆ. Anno 1647.

LECTORI.

F*Ecit me vatem (benevole lector) usus, & Grallatoris temeritas; ut quod fieri posse, vix credideram, id uti prædixi juxta evenerit, etenim Grallatoris sermones in centonibus, haud* cineres quæritabant; *nec defore prævideram, qui* illecebroſo *illi capiti* ſiſterent cadum, *ac dicerent;* age mi Achilles! urbicape, occiſor regum! næ bellatores ex te gignuntur! ex te editi pueri annos octingentos vivunt! *quis jam posſit* riſu ſe admoderarier? *qui videat alterum huic præſto*, ornatu nauclerico, cui colos Thalaſſicus, *per epiſtolam ut regem adeuntem, ac pene ei dicentem*, Pol poſtridie natus es quam Jupiter Apollonî! Si pridie natus fores quam ille, regnum haberes in cælo.

Lepidam certe Grallator invenerat Sycophantiam: in id negotium Bombo-

machides inſiſtit Sapienter ; aures, linguam, ſtilum, ei in ditionem dedens. venuſtè (haud dubium) inter ſe dicunt ; Dî Hercle hanc rem adjuvant ! lepidè hoc ſuccedit ſub manus negotium! bene lineatam Hierarchiæ papalis carinam colligavimus ! ſi nos materiarius non moratur ; novimus indolem ingenii noſtri : cito erit parata navis ! attamen dum ſecuri inter ſe dolum dolant, ſtimuleum à me ſupplicium incurrentes ; oſtendunt occiſam ſæpe ſapere plus multo ſuem cum manducatur.

Non iniquè id comparavit Deus, uno exemplo ne omnes vitam viverent, ſicut merci pretium ſtat, pro virtute uti quiſque valeat. Quis Grallatorem & Bombomachidem ſevero vultu ferat ? ineptiſſimas ineptientis ineptias. præceſſerat ille, ut Bolinthus κοπρόβαλος, *cui cum dorſus totus pruriret, per frictum pone adſtitit Bombomachides : quid præter bombos illinc expectes ?*

Unde

——— Unde prodeunt auræ,
Quę de Sabęis messibus nihil spirāt.

Sed quid ago? ad facetias & convitia iterum? vetus hoc mihi studium esse ait Grallator; idem repetit Bombomachides; ut vix unam aut alteram periodum possim scribere, quin instar mulierculæ rixatricis (inquit) in convitium erumpam, id volunt uterque, Ep. pa. 5. In. præf.

Naturam expellas furcâ licet, usque recurrat.

Ergo quod nunc instat agamus. Nimirum addubitabam, cornicantibus inter se gracculis respondere dignum foret, scilicet ut arenam sine calce dispergerem! attamen facinus audax cæpisse fateor; quod Walachropapismi alveare, pede percusseram in Grallis, tanto pulsu, ut resupinum, polydædala Apollonianæ spiritualitatis novæ, artificia ostentaret: etsi edentula vulgo sit apum progenies, aculeo tantum à retro minitans, tamen mirabile dictu! ex illo apiario prosiliherunt statim duæ, non aculeatæ modo à

post, sed ab ante, marso apro dentatiores. non exterruit tamen bombus, non insolita mordendi rabies: hoc potius mirabar, quod non confusa inter se cohors simul erumperet; nisi id sit quod suspicor, necdum suboluisse cæteris novi papismi allium: inspersi velitarium ratiuncularum guttas, vel ut (ipsi) loquuntur, stili & elegantiarum fumum objeci; nil cogitans quidem de statario prælio: aliunde accercendus est (ut video) ad hoc papisticum bellum, melioris armaturæ miles! nil quam ludere & jocari adlibitum erat, ac sponte subsessuris animalculis placide adsidere; nil suspicans etiam mali ab ejusmodi insectis, quæ vel Solani nidor, vel ex alterco virgula torpifera facile in silentium cogeret. hinc facetias, hinc sales in Bombomachidem exsalinaram, quibus tinnulum animal silere docerem; at at! quantum fallor! consertis alis ad prælium prorupere simul, Grallator ac Bombomachides, recollecta bile (quid aliud possit

possit πικρόχολον *animal*) *ut insolito more non bombant modo ac pungant, sed mordeant: in tantum recrudescente animi impatientis vitio, ut festa profestis, sacra profanis misceant ac mutilent, uti solent insani amatores*, qui nocti ac diei, qui soli ac lunæ narrant miserias suas. *Verbo jam dicam; vicit amicorum suasus, traxit ludi amœnitas ne silerem, ne quidem ridendo abstinere potis; ut dicam,*

——— Cur ego amicum
offendam in nugis? hæ nugæ seria
ducunt
In mala, ——— *sic tamen ut ad seria potius inclinassem, nisi ludere identidem cogeret Walachra excors argutatio. curriculo percurram quod nunc dicturus venio: primum erit ut furorem Grallatoris, & paranoiam Bombomachidis simul faciam palam: Alterum ut mendacia: ultimùm ut ineptias, & utriusque futilitates edisseram.*

CAP. I.

De furoribus Grallatoris, & paranoia Bombomachidis.

Gral. pag. 15. DIxeram alibi in Grallis *Aiacis furentis in morem sapere*, illic Mittelburgi Apollonium; *qui oves suas mactabat quo animi iram expleret.* fuit hoc ibi majoris censuræ proœmium, sed (quod nunc ostendam) furoris ejus præsagium. Monueram Gral. pag. 229. quoque alio loco, *ne novum Hierarchia sua opus canabinum, nimis contentiose traheret: ne telam Ecclesiasticam contexere studens qua se exornet, desineret in restim politicam qua* Bombo. p. 27. *se strangulet.* ne quidem in Bombomachia abstinueram à præmonendo; alludens enim ad Bruti Romanam Historiam prædixeram: *Si Druidi Vlissingana credere liceret, malum Apolloni genium nos visuros iterum quasi apud Philippos.* Non sum vaticinandi artifex; attamen vix arbitror olim apertius futura prædixisse Delphicum Apollinem volentibus, quam ego Apollonio illic nolenti. Ac nisi illi homini esset *mala mens, malus animus:* Prudentius credo sibi temperasset. Nec se impedivisset in has quas nunc sentit plagas. Hæc sors est impiorum homi-

hominum, qui Dei metu projecto, nil intemeratum faciunt iracundiæ, ultricibus diris in avia raptantur, ut nullum ab recto deflectendi modum aut finem inveniant: quod sero à furore resipiscens agnovit Ajax ille, quem introducit Sophocles, agnoscentem hoc ac dicentem, πόνος πόνῳ πόνον φέρει, *labor labori laborem adfert.*

Nunc ut seipsum videat in Ajace Grallator, paucis de illo perstringam veterem Historiam. Erat is unus ex proceribus Græcorum, Telamone patre natus, ex Salamine ortus, parva insula ex opposito Athænarum, qui se adjunxerat Principibus, cum fratre Teucro, ad debellandam Troiam, quem tamen compererant tandem ob ferociam esse ἐχθιῶ φρόνων, magis inimicum Græcis, (ut quæritur Menelaus) erat enim ἀνυπότακτος, & indomitus; principibus parere nolens, sed omnes inconsideratè ad iram pugnamque lacessens, ac ut loquitur Sophocles αἴθων ὑβριστής, *illustris convitiator.* Is tandem cum omnibus proceribus decertavit de armis Achillis, cui summus tunc honos erat: cumque crederet sibi uni ob fortitudinem deberi; suffragiis Græcorum, data tamen sunt Ulissi ob prudentiam. Id tum ægre ferens, ob

contemptum, & quia Ulissem illum semper oderat, dedecoris impatiens, proposuerat noctu inter tenebras irruere in castra Græcorum, & principes omnes trucidare, maxime Ulissem & duos Atridas, Agamemnonem & Menelaum, qui virtute & potestate imperii omnes anteibant: fecissetque adeo, intempesta nocte cum armis egressus, sed Pallas Dea sapientiæ,

——— δυσφόρους ἐπ' ὄμμασι

Γνώμας βαλοῦσα. perversam oculis sententiam objiciens, furorem illi immisit, ut in oves & pecudes incidens, magnam earum lanienam ederet, putans se in Græcorum principes sævire: ad postremum sanguine innocuarum pecudum persperfus, ad tentoria rediens, aliquot arietes captivos abduxit, ob delirium putans se Atridas & Ulissem captos abducere. Quod furiosum Aiacis factum primo clam, Grecis innotuit, mox Pallas manu præhensum & nebula tectum, Ulissem ipsum deduxit ad tentoria Ajacis, ubi cum dolore suis ipse oculis vidit furorem Aiacis; duos enim insignes arietes candidos arripiens, cum risu linguam, mox caput abscidit, addens identidem, τεθνᾶσιν ἄνδρες, *mortui sunt viri*, intelligens Atridas, alterum ad columnam vestibu-

ſtibuli, loris adligatum, duplici ſcutica miſere flagellavit (unde flagelliferum eum vocavit Sophocles) addens tot convitia ut ipſe Sophocles loquitur —— *ὦ δαῖμον qua dæmon* Κ᾽οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐδίδαξεν, *& nullus hominum* eum docuerat: & quanquam Minerva illum moneret, ne miſerum ita flagellaret: ridens Aiax tanto magis feriebat, aſſerens ſe aſtutam illam vulpem Uliſſem flagellare. Cujus inſaniæ miſerta Pallas, adſtanti, & hæc omnia intuenti Uliſſi dixit:

ὁρᾷς Ὀδυσσεῦ τῶν θεῶν ἰσχὺν ὅση
Vides Uliſſe quanta ſit potentia Deorum!

tandemque eum, nebula tectum, ab hoc miſerando ſpectaculo abducens, aureis verbis monuit ut Aiacis exemplo diſceret, nec in Deos, nec in homines contumelioſus eſſe,

Ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν
Ἅπαντα τ᾽ ἀνθρώπεια, τοὺς δὲ σώφρονας
Θεοὶ φιλοῦσι, καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς.

Quia dies ducit & reducit viciſſim
Omnia humana: modeſtos vero
Dî amant, & oderunt malos.

non manſit in hoc furore Aiax; ſed rediens ad ſe cum errorem agnoſceret, & inde ſibi

bi oriturum dedecus apud Græcos, prævideret; non capax infortunii, ambitionisque immodicus; solitudinem occupans deceptis sociis, in gladium incubuit; vitam ita ingloriè finiens: ac relinquēs in se exemplum inconsiderati fastus; quo non Deo modò sed hominibus invisus fuerat in vivis, & post mortem quoque contemptibilis.

Hæc summa est vel parabolæ vel Historiæ de Aiacis furore; quæ inter gentiles una ex antiquissimis est, & tam celebris; ut non Homero ac Euripidi modò fuerit decantata; sed ipsi Sophocli materia Tragediæ, cui fecit nomen Aiacis Flagelliferi. Hanc intenderam in Grallis, quasi Grallatorem monens, ne in similem casum se præcipitassit: Sed frustra moneas, quem fastus ad contumaciam ita induravit, ut sacra contemnere didicerit: non si Pallas ipsa (ut ludunt Poëtæ) hoc est ex Dei quasi cerebro nata Sapientia, adstiterit, tali malo remedium præscripserit. Habebat Grallator Palladem, & divinam Sapientiam, in Scripturis sacris sibi assistentem, ac monentem (si vidisset) non esse divinis & sacris illudendum, typho Antichristico percitus, tamen ei non attendit; quin potius commodi glorioleque mundanæ adsueve-

ſueverit, religionis ſuæ ſacris ita abuti, ut eorum obtentu, magiſtratibus & piis moleſtias, impiis contra & profanis peccandi ſecuritatem procurarit. His monitis olim non paruit, græcus flagellator Ajax, ne quidem hodie inſanus ille Walachrus Grallator. Fateor me hic exemplis in parvis, grandibus uti, tamen rerum affinitas coegit non diſſimiles hos caſus inter ſe comparare, ut non deſperem id favori daturum Lectorem, ſi rerum & perſonarum diverſarum, pares vel ſimiles eventus hic mecum ſine tædio expendere cogam.

Ajax Salamine, parva inſula, ortus, nil comparandus maximorum regum Atridarum potentiæ, altiſſimos tamen ſpiritus geſtabat, ut ſe nulli ſecundum putaret. Grallator Vereanus, litterariæ & Philoſophicæ nobilitatis vere expers, non Zeelandiæ modo ſed omnium Belgarum dignitati, ſe audacter æquabat.

Erat is Ajax in tutelam Græciæ à proceribus adlectus, ut Aſię regnū grave, quod tunc Troiæ erat, communi opera oppugnaret.

Ita Grallator ab Mittelburgenſibus erat electus ut Chriſtianorum libertatem illic defendens, Romanam Tyrannidem debellaret. Attamen tempore hoc comperiebant

pro-

proceres Græci,ut quem putabant Græciæ libertati amicum, Ajax contra eſſet animo inimicior ipſis Troianis. Grallator quoque tandem compertus eſt,majori odio flagrare in eccleſiam Chriſti, & pios Mittelburgenſes proceres, quam ſi apertus hoſtis aut papiſta fuiſſet. Ajax viribus & incondito robori nimis tribuens, non hoſtes modo,ſed ipſos amicos & proceres Gręcorum offendit, ἄιθων ὑβριστὴς, *illuſtris contumelioſus*, & neminem non in certamen provocavit.

Grallator ingenio nimis fidens; non proceribus modo Mittelburgenſibus maledicere: ſed quoſvis doctiſſimos ſcripturiendi prurigine provocare auſus eſt. Ut non modo Reformatorum pleroſque perſtringeret,ſed imprimisClariſſimum Vedelium, quaſi ad ſolitare prælium provocaret, ipſis etiam Britannis ſuæ eruditionis ſpecimina tranſcribens, ut honoris vano deſiderio, nuſquam non litigandi ſpargeret ſemina.

Aiax tandem in Palladis Sapientiæ Deæ indignationem incidit, quia videbat honoris inſano amore nimio illum ita rapi, ut Deorum eſſet contemptor.

Grallator quoque audaciæ & ambitionis nimius, in vere Sapientum & piorum in-

indignationem devenit; ut non modo fastus ejus displiceret, sed sub sanctitatum novarum velo viderent, Sanctitatis veræ Deique contemptorem esse.

Ajax de armis Achillis ac fortitudinis palma gloriose decertans, communi procerum calculo ac præter spem illo honore privatus est.

Grallator vanam eruditionis præeminentiam ambitiose affectans, à Grallarum authore ab ea detrusus, quem promeruit contemptum patitur.

Ajax sua spe delusus, in furorem ob indignationem devenit; omnibusque Græciæ proceribus, imprimis Ulissi, mortem intentabat.

Quid non stomachatum credimus, illic Mittelburgi Grallatorem? post editas Grallas? quo non irarum æstu flagrasse credimus, dum falsa virtutis ostentatione, & audacia nocendi hactenus terribilis, tam aperte perstringeretur, ut jam virtute victus, scelerum & criminum publice convinceretur: non audivimus coram ejus barritus, sed in scripto vidimus furores, quibus sic æstuat, ut nemini nunc dubium sit, non esse in Walachria, non in Zeelandia, ne quidem apud Belgas authoritate vel ingenio

genio

genio insignem, quem ob editas Grallas, exitio, & gehennæ ignibus non devoveat.

Sed avertit Ajacem Minerva; ut in Principes ferocire credens, in oves irrueret: dumque insignium virorum sanguinem sitiret; pecudum strage se oblectavit. Ita sæpe accidit ferocibus, & sine ratione vindictæ cupidis; ut se nocentibus & dignis damnum inferre credant, cum contrà, in oves, hoc est innocuos incidant.

Grallatorem sic quoque illic insaniisse non dubitamus; ut iram passim effundere desiderans, in immerentium capita expumarit; dumque hostium cervicibus minaretur, in pios innocuos sævit: quid aliud ab tali expectes? qui vetere instituto, fit ovium Christi flagellator, cujus censurarium jus & specialis sanctitas à politicis non tangenda, in hoc consumitur, ut impiis parcat & contumacibus: piis contra & qui reconciliabiles sunt, damnum, dedecus, & si possit, æternum exitium excommunicando procuret. Illumne credamus alicujus gregarii tergo pepersisse? qui in magnates, & ποίμενας λαῶν pastores populi, tam seditiosus & injuriosus fuit? uti in Grallis ex dictis factisque ejus ostendi, nil

nil magis quam Ajax ille furens ; magnatum plagis & injuriis adſuetus, ab innocuarum ovium laniena abſtinuit : quem non credas ovium Chriſti, in illa Eccleſiæ ſuæ vulnera ac vibices adhuc ſentire ? ubi inſanus flagellator, cum aliquot inſipientium ſatellitio, tam diu libere graſſatus eſt , & (ſi dîs Apollonianis Walachropapiſtis placet) adhuc pergit graſſari : quis illic credet abeſſe innocentium Chriſti ovium , cædes, gemitus, & indignationes ? ubi publicanum facere, à Chriſti grege extrudere , diabolo tradere , ſub furentis Grallatoris arbitrio jacet ; ut quotiens pleonectæ non adrideat donum ; quotiens delicato non ſapiant cupediæ , quoties ſupercilio non reſpondeat adulatio ; fictæ juriſdictionis , ac majeſtatis reus fiat quivis , omnibuſque diris devoveatur : hos ovium Chriſti gemitus , has querelas , in illa Eccleſia hic mihi audire videor ; dum profligato illic per me flagellifero illo Ajace Vereano , in maleficia ejus,in carnificinas quas paſſi ſunt deteſtandas, factæ ſunt diſertæ ; ut non dubitem quin à multis , nunc ei dicatur , quod olim illi ſacrilego ab Joſua , *tu nos contriſtaſti , Deus te quoque contriſtabit*.

Aiax in omnes oves non æquè furebat; ſed maximè in tres arietes, quorum duos putabat eſſe Agamemnonem & Menelaum, quos ob potentiam maxime oderat.

Grallator omnibus bonis inimicus, in Dynaſtas & politicos maxime maledicendo ſæviit, omnibus eos convitiis proſcindens, apud populum; & præ cæteris, Senatores Mittelburgenſes quos putabat ſuæ ſuperbiæ, ac papali Hierarchiæ obſtare; ut non obſcuris indiciis in noviſſima Epiſtola ſuſpectos reddat, quod me ut Chærulum conduxerint qui ipſi maledicerem; ita ſcilicet proceres iſtos convitiandi conſuetudo, illi furioſo Grallatori occalluit: ſed ſicuti maledicta & malefacta Ajacis furentis non tangebant proceres (incidebant enim in innocuos arietes) ita ſat ſcio Dynaſtas nil tangunt Grallatoris convitia, ſed ab iis ridentur ut furioſa.

Epiſt. pag. 70.

Ajax inter proceres maxime oderat Uliſſem ob prudentiam, quia illi eripuerat præmium honoris inter Græcos. Sic ut in illum præ cæteris indignè fureret.

Grallator quoque præ cæteris me unum inſequitur, non ſuperos modo, ſed Acheron-

cheronta movere ſtudens ; ut mihi malum creet ; quia ſentit in Grallis , ſibi detractam eruditionis & probitatis larvam.

Ajaci tamen hoc accidit, ut Pálladis ductu , furorem maxime proderet in Uliſſem innoxium ſæviendo, cum tamen eum non videret nec tangeret.

Ita Grallator, in Grallarum authorem, apertè furit, & omnibus modis eum perſequitur, quaſi præſentem & notum; cum tamen furore occupatus, me nec videat nec noſcat.

In furore Ajacis hoc accidit, quod multa ridicula ederet, quaſi in Uliſſem: ut ipſa adſtans Minerva, eum moneret, ut miſereretur miſeri Ajacis; alligabat enim arietem poſti pro Uliſſe,duobus loris;& ita adligatum tanquam Uliſſem flagellabat, injurioſiſſime eum tractans , tam ridicule ac tanto impetu, ut Uliſſi clam adſtanti diceret Pallas,

Vides Uliſſes quanta ſit potentia Deorum!

Grallator tam impudenter, ac effuſe in me debacchatus eſt contumeliis ac dicteriis, ut non dubitem prudentiores indignari, ac ſæpe inter ſe miratos eſſe Dei potentiam & judicium, quod tam temerario im-

petu, ac quaſi inſano æſtu in ignotum ſibi & inſontem, quaſi cum Ajace poſti alligatum flagellarit arietem.

Magna pars contumeliarum Ajacis conſiſtebat in maledictis; narrat enim Sophocles, (loco in Tragedia jam ſupra memorato) tot mala verba in Uliſſem effudiſſe & *ἄῤῥητα infanda*, ut ipſe *dæmon non vir*, aut homo aliquis, videretur eum illa docuiſſe.

Ita Grallator tantam maledictorum procellam in me effudit paſſim illa Epiſtola (uti in ſequentibus indicabo) ut non ab homine, ſed Diabolo videatur ea didiciſſe.

Inter cætera, hoc faciebat Ajax: quod Uliſſi convitium faciens eumque flagellans; Deos invocabat quaſi ultores Uliſſis, cum tamen Deorum contemptor & riſor eſſet, quem ipſa Pallas oderat, & ob impietatem in hunc furorem immiſerat: uti ſæpe in Deos videntur reverentes eſſe impii, cum in anguſtiis ſunt; vel quotiens malis illorum affectibus videntur dî favere. Haud aliter Grallator Deum invocat teſtem ſuæ innocentiæ; & Epiſtol. pag. 54. ac alibi, divina

vina nemesi me conatur terrere; quasi Dei aliqua reverentia tangeretur; cum contrà dictis factisque diu ostenderit (uti in Grallis annotaram) nil illi tam sacrum ac sanctum esse; quod non apertè rideat ac contemnat: id enim in sequentibus patebit, sacerrima Christi instituta, quæ omnes etiam vel modice religiosi, reverentur, illi tam ludicra esse, ut, non aliter quam in scena fabulam agens, coegerit ea hactenus, suo commodo & affectibus servire: loquitur quidem de pietate, modestia, & divinis rebus, quasi verè illi essent cordi, sed reipsa hoc ostendit, longa consuetudine hoc illi viluisse, ut quidquid de sacrosanctis illis rebus dicat aut præscribat, ad se nihil pertinere autumet; vel si forte earum aliqua reverentia tangatur, tam alto sanctitatis dominio authoritativo se præditum esse, ob characterem vocationis, ut nil tam divinum sit, quod non sub sua dispensatione jacere putet; Ajacis illius furiosi & impii in morem, qui Deos contemnens, tamen ad angustias redactus, audebat eos in suarum contumeliarum patrocinium invocare: tam impuden-

 ter

ter, ut in illo Græculo verum fuerit, quod alibi Homerus,

διὸς δ' ἐτελείετο βουλὴ, *Jovis impletum esse consilium, ac judicium.* Has ultrices diras, hanc (quam toties contemptim implorat) nemesin discat revereri si potest, non ex insano Ajace, sed ex sapientissimo Psalte, apud quem Dei Sapientia, similes divinorum contemptores ita compellat; *quid tua, ut enarres decreta mea? & fœdus meum in os assumas? cum tu oderis disciplinam, & proje-*
Psal. 50. *ceris verba mea post te? quia lingua concinnas dolum: & sedens obsusurras fratri tuo. Hæc te faciente quia ago surdum, cogitas me similem tui? Sed arguam te in oculis, hoc animadverte inquit Deus, ne rapiam te, nec sit qui eripiat.* Sed persequamur furentes.

Ajaci hoc accidit, quod Vlissem ferire se credens ab illo aberrans, flagra incusserit arieti insigni, ob furorem nescius quid ageret.

Hic mihi veniam det precor ille quisquis Petrus Lansbergius; quod furorem Grallatoris pertexens, eum comparare cogar arieti quem Ajax feriebat. Non deformat similitudinis venustatem, si alicubi dissimilis sit; nullum enim simile est idem:

nec

nec indecorum fuerit, si pene ante quadragesimum annum Ecclesiæ Christi ministro, tribuam; quod non inter vulgares Christi oves sit reputandus, sed quasi aries robore & virtute eminens; in noxios gregi mercenarios & occultos lupos incursare possit pro ovium custodia. Vtcunque est, haud dissimili errore in illum virum incursat Grallator ille Vereanus, quo olim Ajax furens in arietem furebat, quasi in Vlissem: uti huic mentem eripuerat Minerva, ut quid ageret & quem læderet non videret; ita illi Walachro quasi furenti eripuit illic mentem Deus, ut inimicum ferire & flagellare volens, in virum illic innoxium inciderit.

Rationes quibus monetur frivolas, inter ineptias post explodam; primariam tantum attingo, quæ est quod putat *illum censura Ecclesiastica à se notatum, in tantum iræ & vindictæ prorupisse:* exemplum à se ipso sumens; ac veteris scilicet vitii sibi conscius, quod simulac aliquid minus decori pro sua jurisdictione sancta pateretur, adsuetus fuerit in spirituales vindictas in quosvis statim exardescere, ex quo malo animo & consuetudine sibi propria, si Grallarum authorem investigare tentet, non

unum sed multos credo ibi inventurum esse; cum certum sit, non magis à bonorum offensione abstinuisse illic, quam furem aut lupum, à lædendis laniandisque ovibus, abstinere posse credibile sit.

Non aliud nunc sumam ex Lansbergii apologia, quam quod in illum Grallator quoque Ajacis more furibundus egit: Ajax certe conviciis, & maledictis vehementer indulsit, isque furiosorum mos est, ut inconsideratè omnia, quasi in ventum effundant, nullo veri falsique discrimine: ita non in me solum, sed specifice in illum Lansbergium, tam manifeste falsa in sua Epistola effutiit, ut nullus sit, qui nunc non credat, falsarium & insigniter maledicum ac mendacem esse illum Apollonium: ostendit enim Lansbergius, publicis actis, & actorum commentariis omnia convinci posse: pleraque enim quæ in illius contumeliam recenset, ante triginta quatuor annos vel circiter acta sunt; cum Grallator, puer, infantilem salivam, dentitiam ita imperfecte edentiret, ut nunc quidem ejus fæditate pollutus, difficulter purgetur: erant certè ἄῤῥητα *infanda*, quæ Ajax furens

rens arieti objiciebat, *ἃ Δαίμων κ᾽οὐδεὶς ἀνδρῶν ἐδίδαξεν*, *qua nullus virorum sed diabolus illum docuerat* inquit Sophocles. Non possunt certe nisi mali dæmonis instinctu edita esse tot mendacia in illum virum, quæ ipse usus, sensus & experientia convincunt.

Quis enim nisi furore raptus, persuadeat hominibus; ob seditionem, ab ministerio ecclesiæ motum esse (ut mentitur Grallator) quem acta, decreta cætus illius, & omnia monumenta ostendunt, sine omni crimine, non nisi fidelissimi officii apud ecclesiam compertum, perversa & portentosa judiciaria Ecclesiastica, extrusum esse? quis nisi mente captus illi Lansbergio in contumeliam imponat illum casum? in quem non modo ille innocens per nefas devenerit, sed cujus etiam consors fuerit Philippus Lansbergius pater, quem ipse Grallator, ut fidelem & pium ministrum Ecclesiæ extollit? an non insania mera est? deserti ministerii & apostasiæ accusare talem virum, qui toto octennio, post acceptam ab Ecclesiasticis injuriam, apud omnes ecclesiasticos judices expostulavit? & causæ suæ examen flagitans, nil

nil amplius tandem obtinuit, quam ut pudore convictis, concilii Goesani patribus, verba defuerint, quibus obtestanti ac pro merito perstringenti eos, Lansbergio obsisterent? quis stationem deseruisse cum Dema suspicetur illum? qui non voluntarium modo Ecclesiæ ministerium, sine mercede aliquotiens obtulit; sed tam pertinax innocentiæ suæ fuit propugnator, ut tandem obturatis Classici conventus Walachri foribus, difficulter etiam ab sua defensione depelleretur? & tamen fanatico illius insani Walachri Judicio tanquam apostata & religionis abnegator, audit ille Lansbergius, dignusque quem ut Hymenæum & Alexandrum tradat diabolo Walachra Spiritualitas, ob blasphæmias: quot credimus insontium & innocuarum Christi ovium illic diabolo traditas esse? ubi personatus talis gregis Christi latro (ut verbis poetæ dicam)

Impastus ceu plena Leo per ovilia turbans
(Suadet enim vesana fames) manditque trahitque
Molle pecus, mutumque metu, fremit ore cruento.

qui insignem virum Lansbergium nusquam vita ac moribus culpandum (ut ex edita

edita illius apologia conſtat) quaſi

ἴφθιμον ψυχὴν ἄϊδι προιάψεν.

Illuſtrem animam in infernum miſit.

Quis noſtrum hic dubitat ? ferreum os, plumbeam linguam, & caninam frontem deeſſe illi furibundo ? qui tot injuriarum ac ſcelerum illic compertus, toties tamen de ſua pietate gloriatur, ut candorem animi jactans, apud Bombomachidem balbutiat, *Noſti vir Clariſſime me vera loqui:* quem Epiſt. pag. 73. non intus modo, (ſi adhuc ſupereſt) cor, omnium divinorum humanorumque contemptus mordet: ſed publice etiam dicta, ſcripta, facta convincunt ; ut non Mittelburgum modo, ſed patria noſtra, ac Britannia, mendaciorum ejus & errorum, perquam gnara nunc ſit, ipſaque adeo Orientalis India, cujus Batavia, in Bataviam noſtram Belgicam, apoſtolicas illius fuci litteras, tranſmiſit; in quibus ſcurrilem ſpiritualitatem,ab ſpeciali ſanctitate Walachra, in chartam exhalatam, tam aperte viderunt multi, ut earum videndarum deſiderium hactenus contemſerim ; quippe cui ex multorum relatu, jam conſtabat ; nil eſſe in religione noſtra tam ſanctum ; nil in politia tam arduum ; quod non illius inſani furias aliquando ſenſerit.

Accu-

Accuſat inter cætera *inauditarum fraudum convictum & compertum eſſe Lansbergium, quas in conjugali negotio commiſerit:* ſed qui nobis rem hic narrarunt, facile perſuaſere, ut crederemus ab eadem mentiendi architectura id cum cæteris prodiiſſe: ipſeque adeo Lansbergius in Apologia aſſerit, Grallatorem coram ab ſe, fædæ ataxias & falſitatis convictum eſſe; ut ne quidem deſinat illic publice provocare illum inſanum flaminem', cnm ſuis ſubdialibus, ut in os iniquitatem falſitatemque exprobret: quam curam Lansbergio committimus: id ſolum ultimo ex ejus Apologia in rem meam nunc aſſumo, peſſimum eſſe illic Apolloniano-rum Spiritualium morem (ut in Grallis innueram) ut non inique defendere tantum, ſed etiam offendere poſſit illorum gladius Spiritualis. Nam ut in caſu Lansbergii liquet, Si quis illic, à malevolis, injuria & calumniis opprimatur, ac Spirituales illos Hierarchontas in patrocinium imploret, ipſoſque adeo obtrectatores coram falſitatis convincat, ab Spiritualitate illa tamen nil obtineat; quam ut Judiciarius Archimyſtes tribunalem ſedem relinquens; tanquam procurator

malæ

malæ causæ ; causidicus assistat calumniatorum parti, & quantum possit calumniando juvet; donec ineptiæ & ataxiæ convictus, ac palam increpitus,

Dimittens auriculas ut iniquæ mentis asellus,

Judiciariam sedem iterum occupet: tandemque contra omne jus & fas, tumultuarius judex, cum sesquialtero suffraganeo declaret; ob causas non indicandas, placere authoritativis Apollonianis asinis, ut insons, nec criminis convictus, & qui reconciliabilem se præbeat; à sacris arceatur; calumniæ autem, falsitatis, & odii irreconciliabilis comperti; invitentur, ut sacris unà secum, apertissimo dedecore & profanatione abutantur: hanc judiciariam ibi in se exercitam esse ab illis Walachris apertè in sua Apologia narrat Lansbergins, nec quidquam adhuc audivimus illi contradictum esse; haud dubium quia rem ibi notam & quæ omnibus in confesso sit, narrarit: tam manifestum est hoc papisticæ tyrannidis exemplum! ut si id (quod nunc est) publicum fuisset cùm Grallas scriberemus, sexti exempli locum in præfatione facile

facile occupasset. Quid enim credimus spiritualis & potestativæ iniquitatis illic exercitum esse in humiles & modestos Christianos ab ejusmodi Aretalogis? qui tam infanda experti sunt in Lansbergium, qui longo usu & experientia talium spiritualium nequitiarum haud ignarus, animum quoque, ingenium & os habet, ad ventriloquos tales (quod fecit) perstringendos; ut certè Ajacis furibundi, impudentiam expresserit aperte in Lansbergium ille Grallator Vereanus; quasi Arietem brutum flagellans, & talibus convitiis impetens; à quibus non immunis modo non sit, ipsemet; sed tantæ infamiæ notus, ut Sacramentariam, judiciariam, censurariam, & vocatorias Spiritualitates, non aliter quam venales habeat: etiam sponsalitias, & connubiales fraudes, tanquam productor, & stupri arbiter, diu exercuerit, tanta impudentia, ut neutiquam eum puduerit, consensu, arrha, apertisque sponsalium testimoniis, contracta connubia (ut ajunt) pretio distrahere, interjecto mendaciorum, ac perjuriorum fumo: tam temere id negotium tractans, ut quasi venereus collybistes, glutinandis, dissolvendisque connubiis, usurariam exercuerit:

cuerit : non raro quoque compertus, ut tanquam perſonatus leno & γυνοπολὴς commendatam & jam confectam ab ſe conjugalem rem, rurſus diſtraxerit, mutata ſubinde venerea præda; ut vel artem ſuam tanquam formarum jugens ſpectator oſtentaret, vel novarum illecebrarum obtentu, argentum ſæpe emungeret. Non aliud optaſſim hujus rei argumentum, quam ut illi pleonectæ eveniret, quod aliquando furi accidiſſe memini : qui ſub honeſto vultu rapacem animum tegens, & viro inſigni aſſidens; ſubripuerat clam perulam; credens auro refertam, quæ tamen automaton horarium continebat; tantæ ſubtilitatis, ut perpetuo mobilis rotulæ, ictus ordinarios, difficulter audires, venuſto tamen tintinnabulo, horas altius indicans : quam prædam ſibi ſentiens ereptam poſſeſſor, indignatus, & in omnes ſuſpicax, à nemine tamen indignius repellebatur, quam ab ipſo fure : ac certe ſuarum rerum jacturam feciſſet dominus, ſi quod amiſerat aurum mutum fuiſſet : ſed loquax tinnulumque organon, poſt horam alte tinniens (ut ſolebat) quaſi incantamento, ſe ab impudentis furis rapina vendicavit, ſeque in priſci domini poſſeſſionem reſtituit, prodito

& male

& male multato nebulone. Si ſimilem tinniendi habitum ſervaſſet, quidquid ſub ſpiritualitatis prætextu, emunxit ille Vereanus; nullus dubito, quin omnia tinnitu apud illum perſtreperent; ut alibi abacus, alibi patera, alibi Baronius auro delibutus, alibi aurum Britannicum, & innumera circumquaque ſonaſſent: ut non opus fuerit Heliſei Spiritu abſentia videntis, ut avaro illi & nummorum rapaci Grallatori dicatur, *hoccine tempus erat Geaſi, ſumendi aurum & argentum? ecce lepra Nahamani tibi adhærebit*: ſed hæc pro Lansbergio nimis multa. Ad Ajacem redeo.

Ajaci hoc accidit Minervæ vindicta, ut non modo arietem pro Uliſſe inſanè feriret, ſed quod Uliſſes nebula tectus ſine noxa adſtiterit beneficio Palladis, & omnes Ajacis furores ſpectarit. Scilicet! ſæpe ita

Ludit in humanis divina potentia rebus.

etenim ea cæleſtis judicii & vindictæ prudens ſeveritas eſt in multis; ut oppleto malefactorum catalogo, malefici tandem iis anguſtiis implicentur, in quas temere inſontes implicarant, & occulta nemeſi, quaſi mente capti incidant in manus vindices illorum, quorum injuriis antea ſe oblectarant.

Quis

Quis hanc fortunam in Grallatore nunc non miretur? qui longa malefaciendi consuetudine; divinæ nemesis justorumque Dei risor, ac contemptor, non cessavit hactenus sacrorum suorum ludicro obtentu, quosvis simplices terrere, omniumque conscientiis, tanquam judiciorum Dei usurarius dispensator, cum risu insultare; hic scilicet Cl. Vedelio, & illic Lansbergio palam; mihi verò clam omnem contumeliam inferens: ut jam quoque variis malis implicitus, apertè opertè, clam palam, sciens nesciens, ab diversis vapulet: tanta ignorantiæ caligine septus, ut præsens absens, nótus ignotus, procul an prope sit qui feriat, juxta ignoret: verè σκιόμαχος! dignusque qui umbratilium sanctitatum hactenus venator & venditor, nunc cum umbris quoque certet; ut quem putet se præhendere, hostis elabatur: non aliter se fatigans, quam olim Æneás, in Creusæ uxoris umbra ac imagine tangenda, de quo venuste Maro.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra compressa manus effugit imago.
Par levibus ventis volucrique simillima somno.

Non eſt indignus Grallator, quem ſpe-ctra & quaſi infernales umbræ deludant, qui hactenus, nec Deo nec hominibus parcens umbras ſpectraque ſanctitatis, obtulit ſimplicibus, ut jam merito inter tot falſa ſimulachra ſuſpenſus, quod credat neſciat; ac ut ille inſanus flagellifer Ajax, non videat, quod putat ſe videre.

Sed videamus ultimo Ajacem. Is ad mentem rediens, facti pænitens, & infamiæ non capax, gladio incumbens, vitam inglorie finivit.

Non eſt exors talium judiciorum Dei Eccleſia, ut quos tempore compertum ſit, honorum opumque deſiderio, grandia cæptaſſe, & ab Dei ſacris, ſumſiſſe ſuarum nequitiarum patrocinia, inevitabili malorum nexu aliquando in tantum ſtrictos fuiſſe, ut cum ſe putarent pro Chriſto militare novitatum prurigine, etiam neſcii in hoſtium Eccleſiæ caſtris ſe compererint; unde dedecoris impatientia tandem fracti, illuc transfugerint publicè, quò ante ſe tendere ignorabant. Cujus exemplum memorabile extitit patrum noſtrorum memoria in concionatore ambitioſo Harennio, qui ſpiritualitatis infulis effuſe ſuperbiens, venalem ſe obtulerat, factioſis Chimaii, & Imbie-

Imbiesii negotiis, verè reformatis principibus rebellis, ad postremum profligata Imbiesi, & tumultuantium factione, non ferens indignationem, mox abjurata reformata religione, papistarum iterum subscripsit erroribus.

Ita rarissime, pervicacibus ad simulationem animis subnascitur sincerus Dei timor: adeo ut eos quasi vetusta carie adesum lignum, citius fregeris, quam flexeris: Pardi cutem æmulatur superborum malignitas, quam quoties perstrinxeris, terseris, elueris, ab indelebili radice semper repullulat: nec ubique suorum tam levis vindex est Deus, ut potestatem ad mentem redeundi relinquat omnibus, qui ab sanctorum abusu suas utilitates callide venarentur, ut quatenus abcederent, quando regrederentur, sub illorum semper jaceret arbitrio. Stultarum virginum exitiabilis fuit illa persuasio, cum se crederent non nimis longe ab nuptiali ostio decessisse, ut redeuntes tamen non admissæ, in æternum excluderentur.

Ab qualium sorte (quod precor) absit Grallator! difficile tamen illi fuerit, ut civilem infamiæ mortem effugiat, in quam se Ajaci similis à Minerva destitutus, ita te-

mere præcipitavit, ut quasi telam ecclesiasticam texere cupiens & vestem ad se ornandum, inciderit in restem politicam qua se strangulet. Quotquot enim hic mecum D. Lansbergii Apologiam videre, haud dubii sunt, quin jam sit in arbitrio & manu illius viri, ut jam hactenus bonam famam injuste possessam, cum dedecore amittat, atque adeo civiliter moriatur: præsertim qui Christiane ab Lansbergio monitus (ut perhibet in Apologia) quasi infernalibus furiis agitatus, effuderit in illum tot infamia & falsa; ut omnes humani divinique juris terminos transilierit. Si nostro multorumque insignium calculo rem gerat ille Lansbergius, non abstinebit ab illius insani tergo, quin injuriarum actione vexet illum: hoc jure, illis legibus, quas aliquoties in convitiorum folle allegavit contra se. Non erit impatientis animi vindicta, si honorem tueatur cum moderamine inculpatæ tutelæ: talibus enim coaxatoribus, si quod libet licet, & quod licet audent, & quod audent possunt, & quod possunt faciunt, & quod faciunt nemini molestum est, quis Deus invocandus? & qui mæror tandem excitandus sit? non erit divinæ talionis arcanis inconveniens

Epist. pag. 5.

si is

si is qui toties malo fuco bonorum famæ illuserit, infamiæ crimen subeat, juste, exactis & probatis, fiantque omnia Deo moderante. Sicut Minerva dicebat apud Sophoclem, concludens furores Ajacis. γένοιτο μὲν τὰν πᾶν θεοῦ τεχνομένου!

Videlicet ut calumniarum convictus, publicaque ignominia notatus, desinat dein Ecclesiasticæ sanctitatis fama turgere, & quam dictis factisque docuit hactenus contemnere, supereminentem potestatem, posthac discat revereri: Sin Walachræ Classis temerario patrocinio (quod nunc supplex adorat) tegatur: omnibus dein reformatis Dynastis & Ecclesiarum ministris, innotescat; eam esse Walachræ Spiritualitatis prærogativam: ut fraudum, errorum, calumniæ, accersitus, infamiæque damnatus, tamen ita gladio illic spirituali defendatur, ut infamis ac civiliter mortuus, pergat Authoritativus præco Ecclesiæ negotia obire; & vere illic sacra, probata improbitate, contemerare. Epist. pag. 3.

Priusquam finiam hoc caput, aliquid addendum est de παράνοια, & stultitia Bombomachidis, qui tanquam mimus Grallatoris furores imitatur. Haud aliter ac Sopho-

 cles

cles narrat Teucrum Ajacis fratrem, Ajaci jacenti, in litem procerum acceſſiſſe, non quidem ut ille furens, ſed imprudenter pro Ajace fratre litigans: quamobrem non quaſi cum furente Grallatore altercabor, ſed ineptias tantum Bombomachidis ſtultas notabo, ut tanquam Druidi fatidicæ, aut imperioſæ Hecubæ, anilem calanticam, ſub qua latet, jocoſe decutiam. Principio hoc habet cum ſuo fratre commune, quod ſe imprudenter in hanc litem cum politicis immiſerit, ac ad flagellandum quem fatetur ſe ignorare: quaſi neſcius quid ſit lupum auribus tenere: ut neminem eſſe autumem, qui non miretur, vel miſereatur potius boni ſenis, qui hactenus ſilentio tutus, vel infantiam vel anilem dicacitatem ſcribendo nunc aperiat. Quid illi cum Grallatoris deliriis, quæ vel non intellexit, vel ſi per tranſennam viderit, nunquam ſpero huc intenderit (quod in Grallatore apertum eſt) ut inde in Magiſtratus, omneſque pios, καὶ κυριεύσειν, & imperium venaretur: quo tendiſſe Grallatoris commentum nemo magis quam ille ſcit, cujus ſpiritualitatis ſubtemen ante mirifice pingue, nunc tam depexum eſt, ut pertexendæ telæ minime ſufficiat. Si is ab antiquo

quo malus mos fuit Grallatoris, cum commanipularibus aliquot ita ferocire, & (quod nunc omnibus notum feci) insanire, quid opus erat Lareno? cum illis in hoc maximum malum insilire; ut certe non Æthna æquè alta sit quam huic stultitia; qui non dixerit potius, *tu sali solus, ego istam insulturam, ac desulturam nil moror.*

Secundo id ab Grallatore imitatur, quod admodum maledicus sit, ut pene hoc convitiandi vitio fratrem Ajacem superet: sed (quod ante dixi) cum muliebri aut puerili inconstantia.

Pag. 10. Epist. 2. Dicit *me Christum ipsum scurriliter irridere, & scurrilitate ubique luxuriare.* pag. 14. Vocat me *ineptum Magistratuum parasitastrum.* pag. 15. *Mercenarium, assentatorem, & scurram.* pag. 13. *Scelestum os ab gehenna inflammatum.* Alibi quoque exclamat *ô gehenna! ô os blasphemum!* & sexcenta talia: ut prius linguam abscideris tali vetulæ, quam maledicentiam ademeris. Attamen facile observari potest, ætatis, aut sexus hoc esse illi vitium; qui alibi tam moderatus; ut ne quidem illum *Arillatoris*, ex Gellii noctibus quæsitum titulum usquam (quod scio) mihi aptet. Imo Epist. 2. pag: 10. aperte

 excu-

excusat se *quod Atheum me nominarit*; sed quid? ita dicentem, scribentem, & agentem *ut qui Atheum in sinu fovent*: acutam hebitudinem! quasi furem non dicam, cui ea facere attribuam quę fures solent; vel adulterum non vocem qui adulterorum more se gerat; Apolloniana & Ventosa est ista subtilitas Bombomachidis, quæ vel inter flatum & bombum discreverit.

Præfat. pag. 2. & 29. bene de me sperat: imo omnia mihi condonat, ac condonari optat. mox iterum damnat, præscribit, convitiatur, puerilem in morem.

——— *ut iram*
Colligat, ac ponat temere, & mutetur in horas.

Tertio Ajax erat honoris cupidus, insane, sic quoque Teucer ejus frater. Ita in hoc Grallatori quoque similis Bombomachides Ep. 2. p. 6. indignatur, quod *succenturiatorem* illnm fecerim Grallatori; quod Grallarum authorem, *ad crepaturam eum metuere dixerim*: ad quod respondet p. 17. se ab tali hoste nil metuere: hoc solum metuit, *ne nanum & pumilionem dicam*, quem tamen Bombomachidem ubique vocaram. Sed vide inconstautiam! ad rem cum veniat pag. 2. Goliato magno giganti me comparat; pag. 7. *plærum* & populum

lum ſibi in auxilium venire vult, ut ſolent vetulæ; imo *lapides obteſtatur*, ut ſuis nugis adſentiantur. Tandemque; metum prodens pag. 5. exclamat, eheu me miſerum, quod cum hoc adverſario copulatus ſum. Ferendum eſt quod corrigi non poteſt! quis non videt metum hic inſipide certare cum arrogantia?

Quarto, principalis furor Ajacis erat, quod abſentem feriret, & pro Uliſſe, arietem; quod ab illo & Grallatore mutuatur, pantomimus Bombomachides: non quidem tam aperte (ut fecit Grallator) illum flagellans, ſed timide & ſtolide, ut mimi ſolent. p. 58. *fatetur aperte ſibi authorem Grallarum necdum ſatis notum eſſe*. p. 63. *optat ac monet ut nomen dignetur apponere*, nolens ita temere effutire cum furioſo Grallatore illud *ἕυρηκα inveni*. attamen cum Walachro-papiſtis quoque doctus, ex falſis & incertis certa concludere; conjecturas multas interjicit, oſtenditque anili circuitione, ſe in Lansbergium intendiſſe, quæ paſſim debacchatus eſt convitia. Suſpicatur enim p. 4. *annis ſibi comparem eſſe*. & p. 18. dicit ſe ſcripſiſſe in prima Epiſtola, quod putaret Grallarum authorem, cenſura Eccleſiæ Mittelburgenſis notatum eſſe, & quia illud

illud ſomnium (ut multa) ſilentio præterieram; hoc meum ſilentium, vertit in aſſenſum, ut nunc ſtolide exclamet, ſe rem acu tetigiſſe, quis obſecro tali aculario nunc non credat? qui togam papiſticam cum Grallatore conſuens, veſtemque tangere putans, in ſe incidat, digitumque ſibi ad os uſque fodiat? nil eſt, quod de Grallarum authore inde certus ſit Bombomachides! is Mittelburgenſis Eccleſiæ ludicra cenſura non angitur nec tangi potis eſt.

Quanquam & hoc εἰκὸς, valde inveriſimile ſit, & nimis generale; cujus ſi hæc ratio firma eſt, eum ſcripſiſſe Grallas Apollonii qui cenſura ab Apollonianis vel injuſte læſus fuit, non plures certe circulos reperturus ſit, in digitali ſuo ille acularius Jodocus, quam Grallarum Authores; quia tam promiſcuum id illic eſt & pene neceſſarium; quam in ovili, ut oves laniatæ ac diſcerptæ jaceant, ubi lupus pro paſtore graſſatur. Quis ergo betam magis inſipidam guſtarit quam hic eſt Bombomachides? qui ut ſuam concludendi infantiam videat ex ſe.ipſo, eodem viciſſem laqueo hic ſtringam ut ſe arctari ſentiat.

Scripſeram in Bombomachia, errare Wala-

Walachros, quod omnem cultum & religionem me tollere dicerent, quasi pallium Theologicum Bombomachidi auferri crederent, quum tamen ut cultus ſordes, ita pallii inſecta manu amovere tantum conarer, ad hæc ne gry Bombomachides: ſi hoc conſentire eſt, tum metuo ne ſolus Sanctus Franciſcus tam pediculoſus monachus fuerit, ut inſectis ejuſcemodi ſcatens, illa pro bellariis devorarit, ut narrant ejus Legendæ.

Rurſus dixeram Apollonio Jeſuitas imprudenter legenti accidiſſe quod ſcortatori; quod leproſo palliolo ex lupanari papiſtico Mittelburgum rediiſſet. Ad hoc ne gry Jodocus: ſi id conſentire eſt, quia ſilet Bombomachides; metuo ne ſuum archimyſten papiſticæ lepræ faciat reum.

Scripſeram *Vitream eſſe ſanctitatem Walachro-papiſtarum, quæ cum ſplenderet maxime, frangeretur:* quia tam aperte luderent in ſuis miniſterii negotiis profanandis & contemnendis, *ut hiſtrionicam illos agere crederes.* Ad hæc tacet Bombomachides; ſi hoc conſentire illi eſt, non poteſt ulla acutior acus excogitari, ad Spiritualitatis Walachrę Apollonianæ oculum eruendum. Sed nimis multa de hac παράνοια. ad aliam tranſeo.

Pag.

Pag. 41. innuit per ambages authorem Grallarum esse Lansbergium, Grallopæum scilicet ab Apollonio detectum. Quia pium Causidicum Cipesteyn perstrinxerit, quasi is *iniquis Grallarum authoris molitionibus obstiterit*. Tandemque pag. 63. finiens Epistolam, minatur *se canum instar, sagaciter in vitam meam odoraturos, prolaturosque mihi flebile cordolium.*

O Iupiter Iupiter! quis tales molossos non metuat? quem non territet illa inodora Walachrorum canum vis? qui dum lupos venentur in ovium lanienam fere decidunt.

Ain vero?

Lepus tute es & pulpamentum quæris? quid credas anilis Salivæ exspumasse jam diu, illam Hecubam? quæ tam falsa, & ab ratione prorsus diversa, pro veris effutiat. Scilicet pro pio & reverendo viro haberi vult causidicum illum, cui Mittelburgensis senatus ob motam pene seditionem, fronti impressit tam manifestum stigma; ut nemo id videre nequeat, nisi qui cum Grallatore insanus, aut cum Bombomachide insipidus, oculos claudat.

Ut-

Utcunque cum Grallatore non æque insaniat Bombomachides, id tamen suspicatur se lupum hic vidisse, ni mente captus ei acciderit, quod obliviosis tribuit Maro:

—— *Lupi Mærin videre priores.*

Si tam acute sues quam catuli odorantur; Lansbergius est Grallarum author, *illud sceleratum capud! illud os à Gehenna inflammatum*, in quod non Magistratus modo, sed tota multitudo ac *plærus debeat* incurrere; & si forte Walachros illos non fallit computus; brevi hic audiemus illam tragædiam quam Bombomachides concitat in Lansbergii *caput immerentis.*

Attamen (quod fatemur) illi viro non multum metuimus, qui conscientiæ certus, & falsitatum Walachrarum conscius; edita illic Apologia, Grallatorem pro meritis perstrinxit, quem si porro (quod hic dicitur) injuriarum accersat, non modo in ludibrium excidet illa canina Walachra venatio: sed metuo ne pietatem illam politicam causidici, non minus Helluosam sentiat Grallator, quam ipse scit suam Ecclesiasticam esse: ut non plus credo parsiturus sit, succo & æri concionali superlative sancto Apolloniano, quam apud Tholenses dicitur

dicitur aliquando honori prædicatorio peperſiſſe. Sed finem ſtatuere neceſſe eſt ſtultitiæ Bombomachidis, cujus ineptias pòſt ultimo capite ſingulatim recenſebo.

pag. 7. Tandem ad ingenium rediens, querendi feſſus, optat ex me audire illam vocem Jonæ: *Hebræus ſum, dominum cæli timeo.*

Jon. 1. 9. 10. Niſi cum Sacrorum Antiſtitibus mihi res eſſet, a ſacerrimorum eloquiorum uſu libenter abſtinerem, quæ aperte contemerari judico, dum ad tales ineptias, à Walachro-papiſtis trahuntur.

Nolim certe ut ſuo deſiderio hic fruatur Bombomachides, ut ex me totam Jonæ vocem audiat *Hebræus ſum, Deum cæli timeo*, & quod additur, *ab conſpectu Jehovæ fugio:* ad quam vocem exterriti rudes populi, Dei iram metuerunt, donec in mare eum projicerent; non eſſet illis Walachris credo inamænus luſus, quippe extra eccleſiam (ut delirant) ejicere adſuetis: ipſis etiam his Barbaris, profanius ſæpe ſua jura exercentibus; hi enim non niſi criminis convictum, & confitentem, graviter obteſtantes, ex navi ejecere Ionam, cum contra Apollonianis illis Walachris volupe & moris ſit, ſuas oves extra Eccleſiam & (ut nugantur, cælum

lum projicere : ſed ſciant Walachro-papiſtæ, multum inter illos, ac me, Jonamque intereſſe; ut non facile hoc gaudio ſe perſuſuri ſint, ut me cum Iona in mare præcipitem dent, quia in hoc Ionæ quoque diſpar ſum: quod is metu & faſtu ab Iehovæ juſſu & facie aufugerit; tantus ſuæ authoritatis, & poteſtativæ prædicationis æſtimator, ut etiam ab mari rêdiens, indignatus ſit quod totam Niniven cum rege Deus non deleverat, ut ei authoritas ſarta maneret, talis Hebræus cum Iona eſſe nolo, Walachro-papiſtis id privilegium conceſſerim merito; ut quod ſunt, Hebræi ſint ob ſuperbiam & humanos affectus, qui illos movent à facie Iehovæ ad papatum. Cæterum verum Hebræiſmum ex me audire, ſi rite optaſſit Bombomachides, eum non minus ex me quam ex Grallatore papiſmum audiviſſet: cum nemo ſat ſcio ſit, qui ex Grallis non videat, me Deum cæli, ut verum Hebræum, verè timere: hoc imprimis indignantem, quod Walachros Hebræos Antichriſtico faſtu cretiſantes, videam ab Deo cæli fugere; & ſuis figmentis Chriſtianos neſcios fugare: ut non indignus ſit Bombomachides quem cum Grallatore umbræ & ſpectra quoque deludant; qui nolens

nolens ex me audire illum verum Hebræiſmum quem aperte præfero, non poſſit quoque audire quis ſim, quod tantopere rimatur, & necdum præfero. Ut certe Grallatori par, pergat (ſi velit) in poſterum cum umbris pugnare, ut quem ſe ferire credat non feriat, quem ſe audire ac videre putet, nec audiat nec videat. Sed jam ad mendaciorum catalogum progredior.

CAP. II.

De Mendaciis.

UT corporum virtutumque inter ſe cognatio quædam eſt, ita vitiorum propago, quadam conſanguinitate veluti cohæret: ut ab eadem radice pullulantes, ortum quæque ſuum ac genealogiam fere ſequantur: prægrandes certe tronci ſunt, *Ignorantia*, & *Superbia*: quarum illa mentem oppugnat, hæc voluntati & affectibus incommodat: tantaque inter ſe neceſſitudine ſæpe coeunt, ut difficile videas, uter alteri initium fecerit: ſicut enim mentis Hallucinatio, multis faſtum ingenerat; ita quoque ſuperbia in errorem ſæpe trahit, quem moderatio, & humi-

humilitas vitaſſit. In exemplum hujus nunc mihi veniunt, Apollonius & Larenus; quorum ille ab faſtus conſuetudine, in errorem novi papiſmi prolapſus: hic ab ignorantia & credendi temeritate, devenit in faſtus ſuſpicionem: ut ille ob ſuperbiam, Mittelburgi, papalem Hierarchiam meditatus ac molitus ſit: hic ob ignorantiam eam defendat, & neſcius ſovere videatur. Ab diabolo,ut vitiorum Architecto prodit certe omnis vitiorum luxuries; is *latro, & mendax* (ut loquitur noſter Salvator) vitioſos homines quoque docuit ſemper, ab noxa & mendacio, ſibi ſumere patrocinium: tam familiari hominibus more, ut nullo ſexus, ætatis, dignitatiſve diſcrimine exclamet Pſaltes, *omnis homo mendax!* ac niſi divini ſpiritus miraculoſo afflatu homo fiat *infallibilis*, nullum reperias in mundo, quem non mentiendi caſus aliquando occupet: quanto minus mirandum eſt,ſi protervię faſtuſque ventis agitati homines, mentiendi ſtudio incumbant; dignitatiſque robur inde petant,quod audacter mentiantur. tam comperta hæc res eſt,ut ne ſacrorū Antiſtites,veritatiſque adeo præcones,id malū ita vitare queant, quin excuſſa omni verecundia, audeant quoq;inſigniter mentiri,in

D quo-

quorum censu sunt Grallator Mittelburgensis Mystes, & Bombomachides Vlissinganus: in hoc vitium uterque adeo proclives; ut Epistolarum inter se quasi familiarium, paucis foliolis, tot falsitates in me exspumarint, ut videantur pari contentione certasse, uti, totam mali Dæmonis, mentiendi libitinam, quasi inanirent: unde mihi necesse fuit, catalogum mendaciorum edere, quo falsitates quas passim spargunt, quisque ordine videre ac enumerare queat.

Menda. 1 Principalis falsitas ac radicale mendacium est, quod me *Atheum & Libertinum esse*, clamant uterque, & quidem Grallator ob furorem apertius: garrit, *ab docto scilicet Anglo se intellexisse Grallarum Authorem, non Christianum sed Atheismi, ac Libertinismi initiis imbutum, omni pietate, & cultus reverentia destitutum.* unde alibi *Atheorum & Libertinorum genium mihi tribuit.* atque etiam *politicis mundanis, Atheis, & Libertinis* apponit.

Apol. Ep. pag. 9.

pag. 11.

pag. 12.

Bombomachides in priori epistola par effutierat, sed increpitus à me in Bombomachia, contractius incedit. *absit* (inquit) *non nominavi eum Atheum* sed ita tantum *scurriliter loquentem & agentem, acsi in sinu*

Laren. Ep. 2. pag. 10.

Atheus

Atheus esset: quasi jam non verum amplius sit, quod Christus verissime pronunciavit; *ex fructibus dignosci an arbor mala sit?* cum me Atheorum quidem fructus pessimos edere clamat, & tamen ex Atheorum arbusto arborem esse negat; ut lippos ibi regnare credam, ubi lusci tam acute vident: sed tandem relicto acumine apertè ait, *merito pro Atheo me esse censendum.*

Jam hoc primum videant mentiendi tyrocinium, cordati pii in Walachris illis Archimystis. Ut quem cernant passim in Grallis, de vera religione, ex scripturis sacris, contra omnem superstitionem, severissime differentem; clament tamen Atheum, & Libertinum esse: quia nimirum Apolloniani papismi ridiculis inventis ac figmentis illudat.

Non est facilius victoriæ compendium imbellibus maledictis, quam talis nævi accusare adversarium, ad cujus sonum quisque bonus statim horrescat. Nullus unquam ad virtutem pietatemque adeo compositus fuit, qui maledicendi hanc procellam semper vitarit.

Ita olim prophetarum legatis ipsisque adeo sanctis prophetis dicebant Iudæi; quod furiosi essent: Jeremiæ sacerdotes

objiciebant quod ſeditioſus eſſet;ita Scribæ Chriſto ipſi, quod Dæmonium haberet:ita Paulus Athænis garrulus audivit: ita delirare eum jocatus eſt Feſtus : ita *peſtem populi*, eum eſſe declamavit, Tertullus Cauſidicus infamis. Ac ne veteribus quidem exemplis omnibus abolitis, tam ſterilis talium calumniarum, eſt noviſſima hæc mundi ætas, quin facile compertum ſit, eruditione, pietate, ac nobilitate etiam præſtantibus, ſimilia crimina obtruſa eſſe ab Eccleſiaſticis illis & ſpiritualibus falſariis; ut ne Illuſtriſſimæ memoriæ Principi Auraïco Guilielmo; quondam defuiſſe ſcribat hoc cognomen, alibi noſter Reydanus; dum Gaudenſibus factionibus, prudenter pro tempore moderandis incumbens, non ita reſponderet Imbyſii, Harennii, Datheni, aliorumque incompoſito fervori, quin palam *Athei* nomine,acclamaretur?quam rabiem, nemo eſt primorum reformatorum, qui non à papiſtis olim ſit expertus? ut non Swinglius modo pugil, Calvinus ſtigmaticus & Libertinus vulgo: ſed etiam Lutherus diabolicus audiat apud Jeſuitas; quem cum Diabolo, vel modium ſalis fabulentur comediſſe: nec inveteraſcit cum mundo hæc malities, ut pridem etiam

Juſtus

Justus Pacius, insulsus Jesuitaster, Severino Simplicio dicat, quod ut *Scurra* & *Atheus*, loqueretur de divinis mysteriis; scilicet quia *transsubstantiationem monstrificam* exploderet. Ita nihil novi moliuntur, *modesti illi & pii scilicet, Walachri Filadelphi*, (ut inter se glociunt) quod hoc *Atheismi*, & *Libertinismi* crimen mutuantur ab malorum architecto in me, ex cujus scriptis poterat vidisse quam longe abessem, cum in Grallis aperte dicam, *Libertinorum & Atheorum esset illa vesania à quibus longissime absum.* ac ne semel monuisse videar, addideram in Bombomachia. *Hoc Libertinum, hoc impium est.* Gral. p. 420. Bombo. pag. 5.

Sciebant nimirum Walachri, familiare sibi esse hoc vincendi compendium; ut primum clerum cæcè & temere obedientem; dein *plerum* insanientem, in bonos concitent declamando: ut jam hac armatura exuti; nec voci nec iræ pepeserint,

Dum fracta virtus, & minaces,
Turpe solum tetigere mento.

Sed audiamus alterum mendacium. Alibi modestius insaniens Grallator, dicit *me non esse reformatum; sed in omnes Ecclesias reformatas incurrere. in religione scepticum esse, oblatrare verbo salutari, qui veram religio-* Menda. 2 Apol. Ep. p. 70. 71.

 nem

nem reformatam, pro falsa exsibilem inquit. Bombomachides tam similis in convitiando, ac mentiendo, ut, quantumvis ventosa fide affirmet hic, *nil ea de re inter se scivisse*, legenti tamen mihi Epistolas, statim nata sit suspicio; uti latinitatem Grallatori Bombomachidem, ita mentiendi impudentiam Bombomachidi Grallatorem accommodasse; tam venusto coccismo, inter se consonant; ut quoties ille *Phædriam*, *hic Pamphilam statim nominet*. Mira certe est utriusque vesania, ut verbo Dei salutari me oblatrare clamitent; quem vident ubique verbo Dei primas tribuere; & verbi divini corruptelas Walachras, ex verbo divino vindicare: hoc non est verbo divino oblatrare, sed omnem honorem Dei verbo tribuere.

Laren: Ep. 2 p. 6 p. 16

Quis reformatum sine mendacio negarit? quem videat omnibus Papatus superstitionibus acerrime resistere? omnes prisci reformatores, ab debellando Antichristo reformandi nomen dignitatemque accepere: novum reformationis portentum obtrudunt Walachri deformatores; qui ab restabiliendo papatu, reformationis gloriam quærunt. Hoc non patitur Grallarum auctor, sed severè perstringit: hinc reformatam religionem ab eo exsibilari mentiuntur:

tiuntur: haud aliter ac seditiosi sacerdotes, olim, Paulum templi violatorem esse clamabant, qui tamen cultus erat instaurator, & corrector. Ab veteri Apolloniana licentia hoc fluit, quod cui male velint, per fas per nefas maledicant. Act.22.

Si bene suspicatur Bombomachides; si non insanit Grallator, dum affirmat se certo scire, quod nescit: Ego Grallarum author (quam rideo!) illic Mittelburgi obambulo nomine Lansbergii: quid attinet dubitare? & falsa effutire? quis talem dictis factisque illic Lansbergium experitur? cur non recta aditur? cur non convincitur tot criminum? sed contra in Apologia vidimus quod litem indixerit ipse Lansbergius Grallatori, minitans illi Bolintho, si ob furorem talia boleta pergat effundere, calentia ei in tergum retorsurum, ut iis fæteat & uratur. Tantum abest ut ego reformatis adversari credar, ut potius reformator reformatorum audiam apud multos: ut qui veterum reformatorum cultum probem, & ad scripturæ lancem, appensum, papalibus sordibus Walachris, purgare nitor.

Sed prodeat tertium mendacium. Dicit alibi Grallator, me esse in sententia, *Arminianorum, Anabaptistarum, & simi-* Menda.3

 lium

Apol.Ep. pa.75. & 84. *lium fanaticorum, item Brouniſtarum*, & *fanatici Morellii*, quem ſequitur pantomimus
Laren. Ep.2.p.6. Bombomachides, aſſerens *totum miniſterium à me conculcari &c.*

Authoritativum mendacium! vetus fuit hoc, omnibus novitatum ac errorum architectis, ut odioſis nominibus tanquam Larvis, terrerent veritatis patronos: ita Bellarminus, & Jeſuitæ, Lutherum, Calvinum, & primos Reformatores, vocant, Enthuſiaſtas, Manichæos, Suenckfeldianos, & quid non? ita Pelagianiſmum, Arminianiſmum &c. conatus eſt affricare ille Bolinthus fætidus, noſtro Clariſſ.
Gral. pa. 305. Vedelio, quod in Grallis diſcuſſi. Maledicorum rabularum morem in hoc ſectatur, & imprimis Papæ: quem, ſi ſaperent, ex Martyrologiis noſtræ reformationis poterant vidiſſe; non modo enim tum Chriſtianis acclamabant Antichriſticæ belluæ, quod marani, catamitæ, monſtra, ac diaboli eſſent; ſed quotiens igni adjudicatos cremare vellent, veſte picea & uſtuli eos induebant, quæ Erynnidum, furiarum, diabolorum, omneque genus portentorum, imagines pictas repræſentabant; nimirum ut inde concluderet
Laren. Ep.2. p. 29. plebs ſeu *Plerus* (cui mirifice blanditur Bom-

Bombomachides, monſtra infernalia eſſe quæ intus latebant, ut ita Chriſtianorum reformatorum morti applauderent.

Didicerunt hoc a Papa Walachri; Romanus ille exlex, omnium ſcelerum totius Orbis compilator, hoc didicit, à Nerone, Diocletiano, Juliano & ſimilibus portentis,qui non vitiis modo onerabant Chriſtianos inſontes, ſed quotiens ad ludibrium necarent; nocentiſſimarum ferarum pellibus indutos, immittebant in monſtrorum talium caveas, ut illic quaſi perſonatæ feræ, à vivis feris, cum ludibrio lacerarentur. Has artes in me æmulatur, Walachrorum papiſtarum novorum illud par: dum Atheiſmi, Libertiniſmi, Sociniani ſmi, Cornhertiſmi, & neſcio quorum monſtrorum, pellibus me involvant, ut nimirum inceſſito primum clero, dein Plero, ultimo Magiſtratu, tanquam vilis victima cadam, ad Walachrorum Cenſorum crepitum. Sed fruſtra agunt, ſi non delirant uterque divinando, diſcidit illam pellem nunc Petrus Lansbergius Grallopæus detectus, & inter illas feras reputari non vult. Sed digni ſunt fabulatores illi Walachri quos ſpectra umbræque deludant, qui hactenus

nus

nus Sanctitatum umbris papalibus, populum deludentes, nunc demum fraudum à me increpiti; non desinunt tamen maledictorum spectra obtrudere, Demetrio illi Ephesino similes, quem fallaciæ conscium, lucri dignitatisque infamis nidor ita dementarat, ut in Paulum, pium & tum reformatum, plerum ac multitudinem concitarit: & quanquam, non metueret in publicum prodire Paulus, tamen dissuadentibus discipulis, & imprimis Asiarchis (ut refert Lucas) clam ei faventibus; non prodiit in publicum, sed latebris suis se continens, causam Christi non ingloriè defendit. Cujus nobili exemplo, non ignobile unquam nobis visum est, si ex occulto Walachris istis Demetriis Romanæ Dianæ commodum & honorem excuterem, quem venantur: ne lupinam quam à Papa mutuati sunt pellem Hierarchicam, pergant diutius, apud clerum & plerum, pastoria larva occultare. Proinde aliud prodeat figmentum.

Menda.4 Laren. Ep. 2 p. 6,8 Clamant ambo, *me religionem in Belgio receptam, exsibilare, & cultum divinum publicum commentis obruere.* Authoritativum iterum mendacium!

Puerorum παραφροσύνη, Walachrorum men-

mentem occupavit, & ſicut infantilis inſcitia cogit illos, ut turres urbeſque recedere autument dum navigant, licet ipſi neſcii recedant: ita puritatem cultus belgici mecum recedere clamitant; cum contra illi ipſi, male ſentiendo, maledicendo, & malefaciendo, a cultus puritate receſſerint, ut in ſequentibus oſtendam. Non tamen utriſque parem hic inſcitiam tribuam: Grallatorem certe vetus cacoëthes, nil non audendi illuc pertraxit dementiæ, ut meditatus quaſi, reformati cultus veram faciem immutare conaretur; quo fictæ ſpiritualitatis obtentu (Epheſini Demetrii in morem) commodi honoriſque poſſeſſionem ſibi perpetuaret. Bombomachides forte talium nequitiarum ignarus, nec prædæ unquam illius (ut credo) particeps; non ignobilis tamen ad venandum canis, in venationem Apollonianam improvide ſe immiſit; ab illo moloſſo (nil ſuſpicans mali) deluſus; ut dum hic pecuniam Zeelandicam, aurum Britannicum, ſponſalitios Baronios, vocatorias abacos, & Cathedralis tiaræ ſpes, occupet; ille miſer tanquam canis pecuarius, nil niſi ventos venetur, & irarum fulmina ſpiret. Sed audiamus porro mentientes Walachros.

Mul-

Mend. 5. Multus est uterque ille Walachrus, in Apol.p.1 hoc asserendo, quod bonam famam *omnium Walachrorum* , *& ministrorum Zeelandiæ conspurco, & coram toto mundo, eos accuso: quod novum papatum Hierarchicum meditati* Laren. Ep. 2. p. 28. 29. &c. *sint*: negat hoc audacter Bombomachides; dicit *Zeelandiæ omnes ministros* , *quoad substantiam cæteris reformatis Ecclesiis, esse* ὁμοψήφους. Splendidum iterum mendacium!

Si fuisset Bombomachides (uti pagina ultima Epistolæ suæ minatur) *canis odorisequus*, vel saltem hybris: facile odoratus fuisset ex Grallis, imprimis Bombomachiæ p. 11. & 12. nec Ecclesiis omnibus reformatis, nec Belgicis, non Zeelandis, ac ne Walachris ministris speciatim hunc nævum objecisse me, sed imprimis *Davo isti Vereano* Grallatori, cum subsignanis, utcunque non ignotum sit, omnibus merito tribui, quod vel decem vel unius singulorum nomine, quasi plenipotentiario jure determinat: licet tamen hoc quoque fatendum sit, sæpe unius vel paucorum fraude, aut impudentia effici, ut aliquid statuatur, quod præter mentem singulorum, vel plurimorum sit: hoc accidisse illic in Walachria tam certum est; ut mirum sit quod ipse Bombomachides primipilaris succenturiator,

tor, toties monitus, ne hactenus quidem hanc artem intelligat, aut catelli melitæi instar non odoretur: haud aliter enim quam Æolus ventorumve pater, perpetuo in ventum jaculatur: ut cum clamat se cum Reformatis omnibus & Zeelandis ὁμόψηφον esse, cum contrarium in Grallis à me ostensum sit, & res ipsa aliter loquatur, quia nec Belgarum, nec Zeelandorum, nec singulorum Walachrorum calculum hactenus quis viderit, immo id constet, fuisse inter Walachros, qui dictis factisque Apollonianis figmentis contradixerint: si tam facile esset salem animo inspergere quam carnibus, efficerem ut insulsitatem suam videret Bombomachides; ostensurus enim, se cum omnibus Zeelandis & reformatis quasi concalcularem esse; lepide scribit se cum iis convenire *quoad substantiam*: videlicet quod sentiant *Ecclesiasticas censuras exercendas, & facinorosos ab sacris prohibendos esse*. In quo asserto tam insipide betissat, ut non Zeelandis tantum; & reformatis, sed ipsi Papæ Romano pulchre ὁμόψηφος fiat, si substantiæ censuralis convenientiam obtrudere hic sufficiat. Papa hoc substantiali consensu non est contentus, nec Grallator Vereanus Papæ mimus; sed usurariam disciplinæ

Gral. pa. 170. 171. 172. 273. &c.

ſciplinæ accidentalitatem uterque pluris faciens, quam ſubſtantiam; nugantur ambo cenſurandi negotium, adeo ſancti & ſpecialis juris eſſe, ut ſine Sacrilegio à politicis haud tangi poſſit: non alio fine (ut in Grallis oſtendi) quam ut ſibi imperium & commodum inde veniat: quæ turpis Papæ & Grallatoris cenſuraria accidentalitas cum in Grallis à me detecta fuerit; mirum eſt tam inodorum fuiſſe Bombomachidem, ut contentus ſolo ſubſtantiali conſenſu, accidentalem hunc Papæ & Grallatoris non ſenſerit conſenſum, & à reformatis diſſenſum: ut ſi ſolum Grallatorem attente legiſſet (uti in Grallis annotavi) facile didicerit de illo conſenſu modeſtius glocitare; cum ipſe Apollonius in lib. de jur. majeſt. part. 1. pag. 12. aſſeveret non ab Helvetiis, Germanis, & Anglis modo, ſed à Belgis, & quibuſvis præſtantiſſimis reformatis diſſentire ſe in ſuis formaliter ſanctis defendendis. Ut ne quidem dubitare multum poſſim, quin ab ſuo Archiflamine rideatur ille ſubdialis flamen; quod tam pueriliter eſſlet ſe reformatis ὁμόψηφον eſſe; cum hic ſui diſſenſus conſcius, miſerendum in morem, *ac duplices tendens ad ſidera palmas*: ab Walachris patrocinium ſubmiſſe petat;

Gral. p. 142. 143 &c.

Gral. p. 57.

Apol. Ep. pag. 3.

petat; ita *ut ære illo ac debito teneri Walachros*, garriat, *idque jam publice omnibus manifesto* (inquit) *ut spectet mundus quomodo fidem solvant.* Nunquam certe adsuetus tam submisse agere, aut Classicis suis adulari; nisi certus esset, suæ superbiæ & insaniæ deberi, totum hoc Hierarchiæ commentum, & quod inde ortum est, apud reformatos, infamiæ dedecus, Classi Walachræ. Sed prodeat aliud mendacium.

Multum indignantur quod Walachris Theologis, imprimisque Apollonianis, *imponam novum Papismum Hierarchicum*; quod crimen non modo falsum esse dicunt, sed tam inique sibi imponi clamitant, ut *rabidum rabulam, furibundum, scurram,* & quid non? me vocitet Grallator. imprimis vero Bombomachides inscitia turgidus, *falsum est*, inquit, *Apollonium vel quemquam nostrum introducere papatum Hierarchicum:* quod certe principale est mendacium. **Menda.6** **Laren. Ep. 2. p. 11.**

Bombomachidi anilis incogitantia addidit animum audacter hoc effutiendi; is loco indicato, rem ab ovo orditur, majorem & minorem negans; Dicit *non introducere papatum, nec tollere religionem statim, qui aliqua in parte idem sentit, imo errat cum papistis.* Quanti Hercle est sapere! nunquam acce-

das,

das tribunal illud Apollonianum, quin decesseris doctior! Author Grallarum inquit, *defendit organi cantum, in publico cultu*; qui ante papatum in templis non fuit; si non rejecissem ineptias in postremum caput, riderem acumen & falsitatem Bombomachidis; qui non modo, in tribus templis, nimirum, Solomonis, Cyri vel Artaxerxis, denique Herodis, fuit organi cantus, ante papatum: sed tam acuta est hæc observatio; ut non aliter agat, quam si moneat, ne hominem esse credam, qui duos pedes habeat; quasi humano generi gallum gallinaceum vel capum implumem velim accenseri: non censetur monachus statim, qui monachalis togæ aliquam laciniolam præferat, sed qui cum corona, totam monachalem stolam, aut capam induat: non est organi cantiuncula, nec papalis purpuræ fimbriola, quam sumsit à Papa Grallator; est totum Hierarchiæ Papalis complexum; unde tandem necessario prodire debeat papalis Tyrannis; & dein omnium errorum & spiritualium illuvies: ut quod in Papa videatur in quadrato quasi corpore, Walachri ostentarint in embrione: hoc in Grallis apertè ostendi, & hic paucis repetam in Synopsi.

Totis

Totis centonibus, quos edidit Grallator de jure majestatis, hoc tuetur, externa negotia choragii Ecclesiæ, quæ ministri exequuntur in cultu hodierno; non modo sancta esse communi modo, authore & fine, *sed habere sanctitatem specialis juris*: sic ut non possint tractari, nisi à certis personis, per vocationem ad hoc sanctificatis; quod jus dicit tam præcisum esse, ut passim clamitet, sacrilegium fore, si quis ea negotia tangat vel obire audeat qui hodierna vocatione ecclesiæ careat: comparat enim ea negotiis templariis Levitarum; qualia erant sacrificandi, Sanctum Sanctorum introeundi, Arcam & cætera tangendi, quæ speciali mandato Deus Levitis ita commendaverat, ut nemini liceret, clam vel palam, ea obire & tangere: sicut in Usa, Usia Rege, Philistæis, & aliis horribilia pænarum exempla statuerit, qui hanc legem ausi erant transgredi.

De jure Maj. part. 1. pag. 3. &c.

Tali modo asserit Grallator, negotia cultus hodierna, quę vocat *formaliter ecclesiastica, speciali modo* & *jure sancta esse*, & *non posse tractari nisi ab Ecclesiasticis*, *hoc est ecclesiastica vocatione hodierna ad hoc sanctificatis*.

Et quia magistratus politicus ratione officii, non potest gaudere hac vocatione ec-

clesiastica (ut dicit) quippe qui hujus mundi rebus prorsus affixus sit, hinc statuit neutiquam ad magistratum pertinere; hæc negotia Ecclesiæ & Choragii tangere, aut per se facere, *elicitivè* (ut loquitur) nec *formaliter*, nec *eminenter*, nec *totaliter*, nec *partialiter*. lib. de jur. Majest. part. 1. pag. 93. 94. 95. potest quidem circa Ecclesiastica versari, sed res formaliter Ecclesiasticas nullas obire potest aut peragere, sed tantum procurat, ut agantur ab iis qui jus & potestatem spiritualem habent; nec ipse instituit aut mittit, sed missos à Deo & Ecclesia agnoscit. Ibid. pag. 98. inter quos terminos vult magistratum præcise manere, ut ligata hic debeat esse ejus potestas, quasi intra cancellos, extra quos si exeat erubescendum ei sit. part. 1. pag. 28. imo violaturus sit jura Ecclesiæ, pro quibus sanguinem Christus fuderit; vide præfat. non uno sed multis locis asserens pag. 99. Chusæ, Usiæ, Saulis, & aliorum exemplis ostendisse Deum, hodie à Choragii Ecclesiæ negotiis sub talibus pænis abstinendum quoque prorsus esse principibus piis, uti olim in Levitico cultu fiebat: Dicit enim hæc exempla moralia & perpetui usus esse; unde colligendum sit, à Principibus Chri-

Chriſtianis relinquenda eſſe ea negotia ſolis Eccleſiæ miniſtris ſub pæna ſacrilegii.

Statuit autem inter formaliter Eccleſiaſtica negotia, *prædicationem publicam : Sacramentorum adminiſtrationem ; Diſciplinam Eccleſiaſticam, ſeu cenſuram majorem & minorem, jus faciendi leges Eccleſiaſticas, & definiendi res religionis, in Conſiſtoriis, Claſſibus, & Synodis ; jus vocandi Miniſtros Eccleſiæ*, & denique *Ius Diaconatus*, hoc eſt colligendi & diſtribuendi, Eleemoſynas eccleſiaſticas in uſum pauperum. Hæc negotia dicit *eſſe ſpiritualia, poli & cæli, non terræ*, quæ ubique inculcat, ita diſtare ab negotiis hujus mundi & ſeculi, *ut nullo modo poſſint à politica perſona perfici, imo ſi ea audeat tangere, pius politicus & per ſe facere, futurum Sacrilegum, ut erat rex Uſias, tyrannum, violatorem Sponſæ Chriſti*, & infinita talia quæ paſſim in illius ſcriptis occurrunt. Oſtendi autem in Grallis : fuiſſe quidem ſub Levitis quædam negotia ſpecialiter à Deo ſanctificata, quæ à certis perſonis tantum poterant perfici, ſpecialiter ad ea obeunda à Deo ſanctificatis : Sed dixi ea nunc deſiiſſe, & nominatim quæ hodie formaliter Eccleſiaſtica vocantur, non fuiſſe ſub Levitis Levitica & tam ſpecialis juris, ne quidem ſub

Apostolis talia fuisse, ostendi posse. quę singulatim in Grallis ita ex Dei verbo enucleavi, ut infantiam prodant uterque, Grallator & Bombomachides; qui ad ea responsuri, vel convitiantur, vel mentiuntur, & statum quæstionis pervertunt, vel ridiculè ineptiunt: uti in progressu indicabo.

Hæc summa est portenti, quod in Walachria excogitavit Apollonius, approbarunt temere ministri Walachri (ut perhibent) ac nunc inconsideratè quoque tuetur Larenus: id non injuria vocavi novum papatum Walachrum; quia hæc sententia ut ab illis proponitur, non est Reformatorum, sed Papistarum potius, in quorum libris apertè extat. Ex qua doctrina sub Papistis hoc quoque paulatim extitit, quod tyrannicum ecclesiæ regimen ibi obtineret; in hoc consistens, quod clerici vel Ecclesiastici, prætextu specialis sanctitatis suæ (quæ in negotiis religionis & personis ea tractantibus existat) prorsus sint separati à Politicis, & sanctitate hac longe illis præcellentes; unde non modo sibi sumserint separatum tribunal, ac regnum in rebus ecclesiasticis; sed quoque per consequentiam in ipsos politicos, uti id in papatu aperte videmus: ex quibus principiis impossibile est ut papalis hierarchia non oriatur; ut in Walachria impri-

imprimisque Mittelburgi visum est in Apollonianis ministris: qui sola scripti illius persuasione multis experimentiscomprobarunt, sibi hoc in animo fuisse; quod in ecclesiasticis modo negotiis,libere & absolute vellent regnare,sed etiam politicis,in ecclesiastico-politicis primo,ac tandem in puris politicis rebus quoque præscribere,quæ Papalis Hierarchia est. Hæc ut cuique magis innotescant, paulò fusius declarabo.

Primum hoc statuo novum esse commentum,vere reformatis incognitum,quod de *præcisa* & tam *specialis juris sanctitate formaliter ecclesiastica*, tuetur Grallator ille Vereanus. Hoc quidem statuunt Reformati negotia ecclesiastica esse sancta, multumque à politicis negotiis differre, ut temere confundi non debeant; id quoque non diffiteor,inter Doctores reformatos alios aliis, hanc sanctitatem & hoc discrimen plus minusve exaggerare: id tamen constanter assero, vix esse aliquem in hoc, Walachris Theologis ὁμόψηφον; qui dicat hoc discrimen tam pręcise se habere, ut sub *Levitis Levitica negotia*: quod Grallator clamitat: illa enim tam præcisi juris erant, & tam specialis Sanctitatis, ut nemo ea vel occulte, vel palam, vel totaliter vel

 parti-

partialiter, potuiſſet obire vel tangere: imo ſi ipſi Levitæ voluiſſent quadam συγκαταβασεῖ, id eſt tolerantia, concedere politicis; fuiſſent omnes ſacrilegi, & Deus eos puniiſſet. Iam hoc videmus plæraque hæc formaliter Eccleſiaſtica, talia eſſe, ut multa ex iis concedantur politicis, qualia ſunt, *cenſura major, vocatio prædicatorum & ſeniorum, electio Diaconorum, jus nomothеticum*
Gral. pa. 402. *in Synodis*, imo ipſe Calvinus fatetur, *præfecto loci neceſſitate urgente licitum eſſe docendi munus obire.* Ut nil dicam, de pauperum cura Eleemoſynari, quæ inter *formaliter Eccleſiaſtica, & ſpecialis juris ſacra*, conatus eſt de novo referre Grallator; cum tamen à politicis quoque procuretur. Tam aperta ſunt quæ dico, ut ipſe Grallator in centonibus fateatur ſe in his formaliter eccleſiaſticis, & ſpeciali jure ſacris diſſentire, à Muſculo, Paræo, germaniſantibus: ab Helvetiis: Anglis magnatum aſſentationi emancipatis: noſtriſque Theologis omnibus præter paucos; denique à Dordrechtanæ Synodi decretis: quippe humanis, & Eccleſiaſticis nolentibus exortis. vide Gral. pag. 57.

Ex quibus apparet, non modo quantus Phænix noſtri ævi ſit iſte Grallator Walachrus

lachrus, ſed quot ſint hodie, & fuerint ante hac ſacrilegi calcatores jurum ac ſanguinis Chriſti inter reformatos doctores & paſtores : ſi enim tam præciſi & non violandi juris ſunt hæc Eccleſiaſtica negotia; tum non modo impii & ſacrilegi ſunt hodie politici,qui ſe his negotiis tam audacter immiſcent : ſed præſtantiſſimi illi omnes Theologi, digni ſunt & fuerunt ut divinam aliquam plagam paterentur, quod ſcilicet tam horrendam ſacrorum Dei profanationem politicis conceſſerint; unde ſicut nunc conſtat, præciſam illam ſanctitatem negotiorum Eccleſiæ à reformatorum genio non prodiiſſe, ita ſecundo nunc oſtendam, eam deſumptam eſſe ex Papiſtarum ſcriptis, ex quibus tam apertè balbutire didicit ille Grallator, ut non res modo ſed ipſam phraſiologiam aperte inde ſumſerit, ut tota illa intima Theologia Apollonii,de miro illo diſcrimine inter Politicam & Eccleſiaſticam poteſtatem, ex Bellarmino deſumta ſit : in quem finem non erit ſpero moleſtum lectori, ſi legat hæc quæ me fateor cum tædio ex Bellarmino & Grallatore deſcripſiſſe.

Bellarminus de Verbi Dei interpretatione Cap. 9. quod princeps ſecularis non ſit

Iudex Ecclesiæ aut controversiarum, probatur inquit.

Nil potest supra virtutem à Causis acceptam, Causæ autem principatus secularis, humanæ & naturales sunt &c. finis pax & tranquillitas temporalis.

Igitur non habet virtutem princeps nisi naturalem, qualis requiritur, ad conservandam pacem temporalem &c.

At principatus Ecclesiasticus, causas habet divinas & supernaturales. Efficiens immediatè est Deus: & authoritatem habet à Christo. finis, æterna beatitudo.

Igitur cum res fidei, scripturas divinas interpretari, sit actus spiritualis, & ecclesiasticus, certe non ad principem temporalem, sed ad spiritualem & ecclesiasticum pertinet.

Apollon. De jur. Majest.

part. 1. pag. 52.

Nos vero existimamus, politicam potestatem nunquam posse extrahi ex suo genere, & elevari ad alium finem per ipsum producendum, qui non sit totus naturalis, & quem puræ naturales vires non possint consequi.

Et pag. 26. *potestas Magistratus judicia*

cia sua exercet modo carnali, Ecclesiastica spirituali modo. Ibid. *Magistratus in exercenda potestate sua huc respicit, ut civium bona & corpora* &c. *humanam societatem quietam & tranquillam præstet.*

Et pag. 59. *Officium Magistratus non est medium aut ministerium sanctificatum à Deo ad bonum supernaturale.*

Et pag. 118. *Omnis potestas formaliter ecclesiastica, data & injuncta est ecclesiæ. At Magistratus non est ecclesia.*

Pag. 252. *Nos vero judicamus rerum spiritualium dijudicationem publicam, ad Episcopale munus propriè pertinere, & iis esse propriam, quibus publica ecclesiæ vocatione est demandata.*

Et pag. 354. *Causa ecclesiasticæ quæ verè sacræ, clericales seu pastorales sunt, non nisi spirituali & ecclesiastica authoritate dijudicari possunt.* Et post. *Omnis vero principis potestas est civilis & politica, non vero ecclesiastica.*

Bellarm. lib. I. De Romano Pontifice. Cap. VII.

Si primi Apostoli Eph.4. ponantur, certe primi non sunt principes seculares.

Et

Et ibid. Apoſtolus Reges non poſuit modò non primo loco, ſed nec ullo alio.

Ibid. principatus ſecularis inſtitutus eſt ab hominibus, eſtque de jure gentium; eccleſiaſticus à ſolo Deo & de jure divino: ille regit homines, ut homines & ratione corporum magis quam animarum; iſte regit homines ut Chriſtiani ſunt, magis ratione animarum quam corporum. Ille habet pro fine temporalem quietem, iſte felicitatem ſempiternam.

Ibid. Regimen Eccleſiæ ſupernaturale eſt, nemini convenit niſi quibus Deus commiſit: legimus commiſſum Apoſtolis & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus, non Regibus.

Et inquit. Reges non ſolum viri ſed fœminæ eſſe poſſunt. At fæminas publice docere Apoſtolus prohibet.

Apollon. part. 1. pag. 118.

Apoſtolus Eph. 4. 1 Cor. 12. cum hominum ordines enumerat, quibus ſpiritualis poteſtas Eccleſiæ eſt demandata, nuſquam Magiſtratus mentionem facit.

Et pag. 36. *inſtitutio & ordinatio poteſtatum*

tum ſupereminentium non exorta eſt ex officio Chriſti mediatorio &c. ſed ex creationis, generationis, & hominum Multiplicationis lege: etiam lege naturali & gentium conſtat.

Et ibid. *Munus Magiſtratus non datur Eccleſiæ ſub novo Teſtamento ex miſſione Chriſti mediatoris exaltati &c. ſed inſtitutum eſt à Deo hujus mundi gubernatore.*

Pag. 41. 42. *Gubernatio Eccleſiæ eſt formaliter Eccleſiaſtica ſpiritualis, & miniſterium Regni Chriſti eſt. &c. & intendit ſpiritualem ædificationem corporis Chriſti per miniſterium paſtorum & doctorum: hæc gubernatio Magiſtratui non eſt concredita &c. Sed miniſtris & paſtoribus qui legatione funguntur Chriſti nomine.*

Pag. 46. *Tanta inter poteſtatem politicam & Eccleſiaſticam eſt diſtantia, ut nulla prorſus vel minima ſit inter ipſas eſſentialiter ſeu formaliter conſideratas, aut ſubjectio, aut dependentia, aut colligatio intrinſeca: ſed ipſa inter ſe ſunt totaliter diverſæ, ac ut loquuntur ſcholæ diſparatæ, & à ſe invicem ſeparatæ perfectè conſiſtunt.*

Et pag. 117. *poteſtas formaliter Eccleſiaſtica fœminæ ſive infanti competere non poteſt, poteſtas politica, ad fœminas & infantes devolvitur.*

Bellar-

Bellarminus loco Citato.

Quod in veteri Teſtamento non potuit Rex (*ſcilicet res eccleſiæ tractare*) minus in novo, ubi munera ſacerdotalia longe auguſtiora ſunt.

Apollonius. part. 1. pag. 78.

Poteſtas *Magiſtratus ſub ſervitute legis magis urgebat œconomiam cultus Divini ſub V. Teſt. quam quidem jam ſub novo Teſtamento poteſt urgere; ubi ſervitus illa legis quæ à Magiſtratu vindice legis urgebatur, gratia novi Teſtamenti eſt ſublata.*

Bellarminus loco Citato.

Objicit Brentius in V. T. Reges ſe ſæpius negotiis eccleſiæ immiſcuiſſe, & iis à Deo commiſſam cuſtodiam legis divinæ, & ideo ad eos curam eccleſiæ pertinere.

Reſpondeo Moſen non ſolum ducem ſed ſacerdotem fuiſſe, cæteros quædam egiſſe

egiſſe extraordinaria authoritate; non tam ut Reges quam ut Prophetas.

Apollonius, part. 1. pag. 68.

Aſſerit Moſen cultum Dei inſtituiſſe &c. ut ſummum Sacerdotem & Prophetam. Reges idem feciſſe extraordinaria poteſtate non tam ut Reges quam Prophetas. Et nos diſtinctionem hanc ut genuinam, legitimam & verbo Dei fundatam, admittimus & probamus.

Bellarminus loco Citato.

Non delenda eſt lex Deut. 17: qua ordinarie remittuntur homines in dubiis de religione non ad Regem, ſed ſacerdotem.

Apollonius part. 1. pag. 66.

Res eccleſiaſticæ, earum juriſdictio, & adminiſtratio, à rebus ſecularibus regni diſcretæ fuerunt, & ſacerdotibus non politicis ex

ex officio ordinario injuncta, à Deo. 1 *parab.* 19. 11.

Bellarminus loco Citato.

Usias Lepra punitus est cum munus sacerdotis assumsisset.

Apollonius part. 1. pag. 71.

Exemplum Usiæ perpetuæ æquitatis est, innititur enim discrimini divinitus stabilito, quo officia Regum & Sacerdotum discernuntur, cujus limites refigere sacrilegium & rapina est.

Et pag. 99. *omnes sive reges sive Magistratus, sive privati, pœnis à Deo mulctati sunt, qui in ea, quæ Ecclesiastica & sacerdotalia erant, sese injicere ausi sunt; exempla modo sunt allata, Chusæ, Usiæ Sauli. &c.*

Quæ omnia si inter se comparentur & quæ passim scribunt, videbitur facile Grallator cum suo pantomimo Bombomachide, non in fonte *Caballino* sed Canino, labra proluisse: nec in bicipiti Pernasso, sed in septicipiti Babylon aliquando somniasse, cum Walachram suam *specialis juris sanctitatem*

tatem, formarent. Ut nullus cuculus accipitri ſimilior ſit volatu & plumis, quam Walachrorum ſententia Bellarmino & Ieſuitis.

Hoc errore ut fundamento poſito, neceſſario extitit, ut in Eccleſia prodierit Antichriſtus Papa: primò enim ob miram hanc ſanctitatem, totalis ſeparatio facta eſt inter Clericos & Laïcos, vel Eccleſiaſticos & Politicos; ita ut ſub horum imperio non eſſent illi propter ſanctitatem & dignitatem muneris, ſed liberi & ſui juris: & quia tandem re bene expenſa, comperirent Clerici; ſua negotia dignitate ſpiritualitatis anteire omnia ſæcularia principum negotia, hinc quoque ob eandem prærogativam ſanctitatis, cæperunt ſe efferre, ſupra principes: unde tandem hoc reſultavit quod poſt multas pugnas, & temere effuſum principum ſanguinem, fatali ſucceſſu, Romana illa meretrix ſubjecerit ſibi Cæſarem & omnes mundi Monarchas, ſicut dein Papa Romanus in Eccleſia & Politia mutaverit quadrata rotundis.

Non modo poſſible eſt ut hoc fiat, ſed hoc aſſero, impoſſible eſſe ut non fiat: haud aliter ac fieri non poteſt, quin ex embrione

ne tandem suppetente nutrimento, nascatur, & excrescat, quadratum corpus. non modo hoc visum est in Monasteriensi illo, sanctitatis signifero Joanne Becholtio, sed in Walachria id accidit, ubi primum per Grallatorem posito hoc sanctitatis specialis, *ovo*, statim busonum aliquot insessu, cæperit prodire *Papalis Archia Basiliscus*: qui licet adhuc tenellus, miro tamen sibilo aerem ibi inquinavit: ut nisi in Grallis objecissem ei quasi in speculo, speciem suæ deformitatis, metuendum fuisset, quin omnia late suo veneno occupasset; cujus teneritas tamen non obstitit, quin satis magnos strepitus ibi ediderit, quos in Grallarum præfatione adjeci, nec piget hic summatim reponere.

1. Mandaverant Illustres Ordines Zeelandiæ, ob graves causas, ne Walachra Classis, ad Anglos scriberent, nisi litteris à se primum lectis: non probavit hoc Grallator cum Walachris, sed contempto Illustrissimor. Ordinum mandato, miserunt in Angliam Epistolam ab Ordinibus non visam.

2. Jusserant Illustres Ordines Eleemosinam cito colligere & Irlandis celeriter transmittere, more cuivis usitato & convenienti, in mensam Mittelburgensem collato

lato ære. Grallator cum ſuis urgebat hoc *ſpecialis juris, & formaliter eccleſiaſticum eſſe negotium*, nec Politicis licitum; itaque Mittelburgenſi Magiſtratui ſe opponens, interdixit *diaconis ne collectam ita facerent*, & altercando beneficentiam in Irlandos diſtraxit cum multorum egentium exitio & ſtrage.

Inſtituerat Magiſtratus Mittelburgenſis, 3.
tribunal parvarum litium, aliarum urbium exemplo: quoſdam etiam ex Senatorum numero removerat, invito Apollonio: non placebat hoc Walachris flaminibus: cottidie, magnam convitiorum vim, ab ſuggeſtu efflabant; tandemque fandi copia poſtulata; papatus, iniquitatis, perjurii, & odii in eccleſiam, illos in os increpuerunt.

Organi Synphoniam recepto tunc more
inter cultum continuabat Magiſtratus; hoc 4.
quia non placebat Grallatori: cottidianis clamoribus ob illam & alias cauſas, ita pro concione tumultuatum eſt in rectores urbis, ut dicteriis apertè perſtringi, modeſti, dolerent; malevoli conjectis in curiales oculis, apertè riderent.

Infamem Lumirium cauſidicus Cipeſteyn
occulto in curiales odio, ita impudenter de- 5.
fenderat, ut ab ſeditione, in Magiſtratū pro tribunali ſedentem, perparum abſtineretur.

F

juſta

juſta indignatione, notavit ob id crimen illum Leonhartum infamia hac, quod ab cauſis ante tribunal ſuum dicendis ſcribendiſque eum removeret Magiſtratus Mittelburgenſis; non placebat hoc Apollonio cum ſuis; ad presbyterii dignitatem illum attraxit, ut ex eccleſiaſtico tribunali, politicis, Eccleſiaſtica cenſuraria illuderet. Multa talis farinæ tunc exhalaſſe dicitur illa papalis ſanctitatis lacuna, talium ſpiritualitatum fæta: unde hoc nunc ſit Cardinale mendacium, quod ſe negent Walachri papatum Hierarchicum novum introduxiſſe; cum jam dictis factiſque oſtenderim; ab reformatis profugum, ita in Jeſuitarum Papæque caſtra transfugiſſe, ut pro illo apertè militet, ac tam ſimilis illius jam ſit Grallator, ut ſi Papam intueatur, merito nunc dicat cum Plautiano Soſia,

Certe cum illum contemplor, nimis ſimilis eſt mei.
Sura, pes, ſtatura, tonſus, oculi, naſum, labra,
Mala, mentum, barba, collum,
Si tergum cicatricoſum, nil hoc ſimili eſt ſimilius.

Mend. 7. Epiſtolæ pag. 73. & alibi Grallator ſe excuſat ab illis factis apud Bombomachidem,

dem, *nosti vir Clarissime vera loqui; & illas res, alio modo, animo, forma gestas esse.*

Effrons mendacium! provocat ad Illustres Ordines Zeelandiæ, & venerandos Rectores urbis Mittelburgensis. Si tam conscius innocentiæ est, cur non rectà Potentium Ordinum acta, & Mittelburgensis curiæ archiva adit? cur non ad rem venit? & apertis documentis crimen demolitur? sentit nimirum, ex publicis monumentis, non minus vera esse crimina quæ à me illi objecta sunt: quam falsa, quæ ita temere in Lansbergium mentitum esse, jam mundus agnovit: obtestatur Classes Zeelandiæ! sed injurium est, in tot errorum scelerumque patrocinium venire velle, illas Classes; quas antehac prudentiæ dignitatisve typho contemserit. Præcipuum nequitiarum suarum latibulum expectat ab suis Walachris, non tam conscientiæ fidens, quam consuetudini; quippe apud quos jam longo usu adsueverit, tanquam Delphicus Apollo, nugas pro oraculis effundere: ut in centonum ejus mille paradoxa; mille maledicta, imprudenter subscribendo assenserint; non sine temeritatis (ut suspicor) pænitentia.

Pag. Epist. 72. Deum obtestatur Gral- Menda.8

 lator

lator, *quod Leonhartum Causidicum unico suo voto, juvarit; nulla ope, arte, aut favore.* Mendacium est. qui morem gestaque ejus illic observarunt, contrarium se scire & evincere posse affirmant. Sed quis pejerandi metu, contineri posse eum autumet? quem ne sacerrimorum quidem cottidiana violatio, unquam exterruit; cui sanctum est sub sanctitatis specie ludere, & sancta Christi profanare, & cultus nostri sacerrimis illudere: Sinonis illa fides est!

Ille dolis instructus & arte pelasga
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
Vos æterni ignes, & non violabile vestrum
Testor numen, ait —— Mentiebatur tamen.

Ut si per Jovem juret iste Sosia, ego per Mercurium jurassem, Jovem illi nō credere, ac injurato plus credere mihi, quam jurato illi. Carthaginensum erat illa fides, ut violatis omnibus sacris cum jurare adhuc vellent, exclamarent Romani, per quos tandem Deos juraturi essent; cum omnes violassent. Frustra Deum testâtur Grallator, cujus sacra toties prostituerit, ut nec prædicationis, nec disciplinæ, nec nomotheticæ, nec vocationis, nec Sacramentorum sanctitas; unquam tam seria illi fuerit, quin ludicrū in morem, commodo, honori, & affectibus

fectibus suis, usuraria fuisse, factis ostẽderit.

Ibid. excusat factum Causidici Cipesteyn, & commendat eum, ab virtute, *orthodoxæ fidei professione*, *& pietatis amore*. quicum glocitat Bombomachides Epist. 2. pag. 41. *Audio virum esse humanum, pium, eruditum, & percelebrem advocatum*: Mendacium est! Scilicet percelebrem esse causidicæ & Senatoriæ pietatis credebant Mittelburgenses Archymistæ! quem norant pessimarum causarum venalem patronum se sæpe adjungere, & cognomento *Leonharti inanimis* jam diu in Flandria celebrem fuisse, ut cui *Chapini Vitellii*, Itala pietate quondam insignis, Epitaphium quoque conveniret:

Corpus in Italia est, tenet intestina Brabantus
Ast animam nemo; cur? quia non habuit.

de quo etiam constat quorundam clarissimorum virorum causis tractandis, senatoria sua opera tam orthodoxe & pie aliquando functum fuisse, ut publice ordinum Generalium decreto prohibitus sit; ne unquam illorum rebus judicandis possit assidere Senator; hæc nos verissima esse hic scimus, & multi in Batavia. Quam falsum igitur est illis Walachris Lincibus id fuisse ignotum!

Certe nisi oculos clausissent, quid magis illis potuit esse visum & compertũ quã quod Reverendo Magistratui suo Mittelburgi

tam male voluerit; ut obtento, nebulonis, & proditoris patrocinio; in Senatores illius urbis, non privatim obambulantes, ſed pro tribunali ſedentes, ita impudenter invectus eſt, ut publicis plebis dicteriis, ſannis, ac pene paricidio exponeret: Abſolomica profecto eſt iſta pietas! quam exitiabili crinipendio Deus punivit: non expectavit cælitus, aut a caſu vindictam Magiſtratus; ipſe poteſtatem ſcibat ſibi eſſe ulciſcendi tale ſcelus! publico decreto, garrulum illud plectrum, ſilere juſſit; dum ab cauſis dicundis ſcribundiſque publicè removit, difficulter etiam à relegatione abſtinens. Et tamen ſi dîs Walachro-papiſtis placet, hic celebris, pius & orthodoxus Senator digniſſimus erat, ut (quod nunquam ante) tunc juxta in comparativam ſeniorum ſanctitatem adſcriberetur: quis nunc dubitet, nil eſſe ſacri talibus Sacrificulis? qui ſic mentiuntur, ut ab ſuorum ſacrorum contemptu, ſumant mentiendi ac malefaciendi privilegium. An neſciebant Pauli lege 1 Tim. 3. 7. Epiſcopum debere eſſe inculpatum, & bono teſtimonio etiam deforis armatum? detur nunc illis quod nugantur, *Magiſtratum eſſe, non in, ſed extra eccleſiam*; hujus tamen teſti-

teſtimonio infamis erat ille Eipeſteyn: an turpis lucri cupidum, neſciebant eſſe Epiſcopatui aut Presbyterio ineptum? quis clientium Helluonem, turpiſque lucri cupidiſſimum, illum eſſe illic ignorabat? quem norant ſola lucri cupidine & malo affectu, tot maledicta & convitia Magiſtratui in os objeciſſe. Non miror certe Vliſſinganum illam, ex παραγνόια illud neſciviſſe, quæ illius prædæ nunquam particeps credo fuit: hoc miror; tam audacter mentiri Grallatorem! illi venationi ab longe adſuetum! ut ſciat ſe ſæpe, *ſuperlativam ſuam ſanctitatem* concionalem, junxiſſe illius *cauſidicæ pietati* ad hanc lucri venationem: ut non raro accidiſſe autument, ut unum leporem ambo venarentur, vel (quod dicitur) unum capum deplumarent. Sed nimis multa de hoc mendacio! Sequatur aliud.

Grallator ſcribit, *pio Zelo & Chriſtiana modeſtia ſe egiſſe cum Illuſt. Zeelandiæ Ordin.* Mend. 10
Bombomachides inſulſior, ut vetula Ep. 2. pag. 4. Reſpondens ad primum inobedientiæ exemplum in Grallar. præfat. poſitum; dicit *Illuſtres Ordines benigne indulſiſſe, Claſſis deputatis, ut cum claſſe communicarent de epiſtola tradenda, & poſtea Ordinibus compertum fuiſſe, nil rerum politicarum, illa epiſtola*

 con-

contineri, ac mandato supersedisse. Splendidum & multiplex mendacium.

Primum enim Illust. Ord. non indulserunt deputatis,ut Classici inter se deliberando certarent, utrum Epistolam traderent nec ne? sed voluere, ut mandato Ordinum Classicis communicato, Ordinibus obtemperarent quod cum Walachri non fecerint, immodesta fuit hæc inobedientia, *non pia modestia*, quod Vlissingana illa vetula mentitur & ineptit.

Secundò malebombens & fœtidum quoque mendacium est, *Compertum fuisse Ordinibus Zeelandiæ Epistolam nil politici continere.* quia tunc Ordin.notissimum erat,non politicum sed periculosum esse, litteras qualescunque Anglis scribere; ecclesiis,Rege,& Parlamenti proceribus ita divisis bello & dissidiis; ut utri parti se applicassent consolando, alteram facile offenderint:unde omnes aliarum provinciarumClasses prudenter tacebant.quibus jam accedit quod Epistola illa Walachra, nunquam Ordin. tradita, vel in Illustrissimo illorum Consessu lecta fuerit, ut quid contineret certi esse potuerint,quod Bombomachides fingit.

Ultimo quod addit *Illustres Ordines suo mandato supersedisse,*tertium mendacium est, quia constat & res notissima est,non solum

tunc

tunc indignatos fuiſſe, ſed etiamnum hodie indignari, qui illo tempore comitiis interfuere, quod contempto Illuſt. Ordin. mandato, Epiſtolam in Angliam miſerint Walachri Claſſiarii. Unde miror inſulſitatem Bombomachidis, qui poſtquam uno niſu tria hæc mendacia efflavit, pollicetur tamen vel ſperat, Grallatorem aliquando hæc plenius diluturum eſſe.

Pari ſimplicitate mentitur quoque Bombomachides, pro Collega ſuo Brandio, quem Grallator præterit. Ep. 2. p. 32. dicit Brandium *non ſerviiſſe Grallatori cæca obedientia. Quia Ampliſſimus Senatus Vliſſinganus, collectam Hibernenſibus mittendam commiſerat curæ Eccleſiaſticorum, quod ut Mittelburgi fieret, Claſſis nomine ejus urbis Senatum oraverat Brandius.* Tam impudens mendacium, ut certe metuam ne cæteras veteratorias ſpiritualitates, ab Grallatore quoque diſcat, qui mentiendi hanc artē tam cito didicerit. Mend. 11

Primo hoc falſum eſt, Magiſtratum Vliſſinganum, commiſiſſe collectam Hibernenſibus mittendam, Eccleſiaſticorū curæ; quia Illuſt. Ord. unanimi decreto ſtatutum erat, ut totius Zeelandiæ collectum æs in menſam Mittelburgenſem deponeretur & delegatorum Ord. nutu ac ductu diſtribueretur.

Secundo in hoc fictor eſt, quod incautis ſub-

ſubdole perſuadere nititur; Mittelburgi actum eſſe de colligenda & diſtribuenda Eleemoſyna, quaſi de re *libera*, ſive ab eccleſiaſticis, ſive à politicis, ſive oſtiatim, ſive in templo fieret collecta: qualiter Vliſſingæ, aliiſque locis, atque etiam Mittelburgi hactenus indifferenter factum fuerat. Sed Grallator qui in vaticano ſomniaverat, in hoc colligendi diſtribuendique jure eſſe *authoritativam poteſtatem ſpecialis ſanctitatis*, voluit Magiſtratui & politicis hoc jus eripere; longoque ſcripto oſtendit, non licere iis id ſacrum eleemoſynare negotium tractare, ob ſanctitatem ſpecialis juris quam ibi ſomniabat latere; ſic ut diaconis quoque omnibus interdiceret, ne Magiſtratui in hoc illicito & quaſi profano negotio obedirent: hæc illa aurea & pulchra eleemoſynaris Helena Grallatoria, quam in Grallis ſatis conculcatam reliquiſſem cum ſilentio, niſi Bombomachides hic mentiendo Grallatorem ſuperans, Cl. D. Brandio volens ſuccurrere, majus opprobrium attuliſſet: nolim certe candori, & piæ libertati D. Brandii quicquam detractum; at quia de novo in ſcenam protractus eſt ab Bombomachide; dabit veniam ſi nunc quæram an intellexerit hoc eleemoſynare

ſynare propoſitum Grallatoris? an non intellexerit? Si illud: tum male fecit, quod ut ſpeciali jure ſacram rem interdixerit Magiſtratui Mittelburgenſi, Eleemoſynare negotium; quam Vliſſingæ domi reliquerat, & tractaverat ut adiaphoram: Si hoc: tum certe cæcam obedientiam præſtitit Apollonio; dum approbavit, ac defendit, quod ipſe non intellexit. Non tribuam hoc viri imperitiæ, ſed nimio illius candori, & Grallatoris impudentiæ: qui tunc adſuetus quaſi Apollo oracula ſua fundere, non modo Claſſi ſua deliria obtruſit; ſed hac veteratoria ipſis Ordin. Illuſtrib. delegatis ita impoſuit, ut pro centonum officio præſtito argenteam offam abſtulerit: tam aperte illorum dignitati illudens, ut nemo nunc ſit qui Grallis admonitus dubitet; quin virgis eccleſiaſticis indignè cæſi, perſoluto flagrorum pretio, mercedem contulerint maſtigiæ. Sequatur aliud mendacium.

Grallator Epiſt. pag. 1. 4. &c. Dicit *ſe eſſe virum, innocuæ famæ, pium paſtorem, erga politicos omneſque reverentem.* Quem coccifmum illi paſſim accinit Bombomachides. Mendacium eſt! Mend. 12

Quomodo paſtorem pium dicas? qui tam

tam putidorum errorum & totius Hierarchici papatus, jam aperte convictus est, hoc certe non est pascere, sed perdere oves Christi, ad Papatus venena clanculum deducere: Jam qui fidei perversor est, quomodo erit pietatis patronus? non potest dici innocuus ac inculpatus, qui falsitatis, fastus, Simoniæ, calumniæ, blasphemiæ, injuriæ, pleonexię & omnium fere vitiorum compertus nunc est ex antedictis, ut ne scurrilitatis quidem Indicæ Epistolaris, mentionem facere hic necesse sit, & scommatum in pios politicos effusorum, quæ in Grallis annotavi. pag. 272. ut libere dicam Semeïca modestia, exceptos esse pios illos principes, ab Grallatore & sociis ejus; qui non dicteriis modo sed luto regem David infestans, omnes modestiæ terminos transibat: ut jam merito sibi dicat Vereanus ille Sosia.

Plaut. *Argumentis vicit, aliud nomen quærendum est mihi:*

Credo equidem tacite secum mirari Grallatorem, quod tam impudenter multa scripserit, ac fecerit; & sibi clam dicere.

Plaut. Amph. *Quid malum? non ego sum Sosia?*
Non ego nunc sto ante ædis nostras? non mi est laterna in manu?
Non loquor? non vigilo? egomet mihi non credo.

Tam

Tam effuſus eſt in conſarcinandis commentis per totos centones, ut nunc in Epiſtola dubitet, immo apertè neget quæ ſcripſit. Quæ mendacia perſequar ut ante dicta magis illuſtrentur.

Apol. Epiſt. pag. 12. *Ubi Magiſtratum ex vilioribus immo viliſſimis Eccleſiæ membris eſſe aſſero?* hoc negare apertum mendacium eſt. Mend 13

In lib. de Jur. Majeſt. part. 1. pag. 13. carpit Cl. Vedelium *quod Magiſtratus pios diceret præcipuum eccleſiæ membrum ratione Magiſtraturæ.* Dicit hoc alieniſſimum eſſe à ſtatu Eccleſiæ. Et probat his rationibus.

Quia mundana hujus vitæ dona (inter quæ Magiſtraturam quoque cenſet) *nihili æſtimantur in Regno Chriſti.* Ergo magiſtratus ratione Magiſtraturæ per ſe, res nihili eſt in Regno Chriſti, an non hoc dicere eſt viliſſimum membrum, ratione Magiſtraturæ?

Ibid. p. 14. ex loco. 1 Cor. 6. infert minimos & qui infimi loci membra Chriſti ſunt in eccleſia, in dignitatis ęquilibrio poni poſſe in Eccleſia, cum dignitate illorum qui judicia mundana h. e. magiſtraturam exercent. *Apoſtolus inquit, minimos, & infimi loci membra*

bra, agnoscit apte ad dignitatem judiciorum, de rebus hujus vitæ promoveri posse in Ecclesia. 1 Cor. 6. 1. 2. 3. 4. *& proinde tanti non esse illam potestatem, ut in præcipui membri ecclesiæ statum, hominem extollat aut evehat.*

Quid intereſt obſecro? ſive quis dicat minimum & viliſſimum eccleſiæ membrum dignitate ſua dignum eſſe Magiſtraturæ dignitate; vel Magiſtraturæ dignitatem viliſſimi membri eccleſiæ dignitate haud digniorem eſſe.

Mend. 14 Quærit iterum: *ubi in minimam legum ecclesiasticarum transgressionem, excommunicatione majori & minori animadvertendum contendo?* inquit. fateor tot aſuſtata illi effluxiſſe; utnunc difformes fœtus ſuos non noſcat: attamen hunc negare, apertum mendacium eſt!

Nam part. 2. de Jur. Maj. pag. 230. *at* (inquit) *in rebus indifferentibus ecclesiastico tantum mandato terminatis* (quæ certe ſunt minimę & adiaphorę res) *fraterno consilio excitant tantum ecclesiæ filios* (inquit) *extra casum scandali, & contemptus, tamen anathematum fulmine non compellunt.* Unde apparet, eum aſſerere tranſgreſſiones legum eccleſiaſticarum minimarum, majori quoque cenſura puniri poſſe, *intra casum scandali & contemptus.*

temptus. Quod assertum papale est & Tyrannicum: tum enim Ecclesiastici quasvis nugas & quævis somnia sua lege sancient; & si quis iis non statim parebit, dicent contemptum & scandala admitti, & sic excommunicabunt hoc prætextu Christianos quosvis, non laicos modo, sed Magistratus & principes suos: qualiter fecisse Papam nimis compertum est.

Et pag. 238. *Si contumaci contemptu, eutaxiæ leges, proculcantur, severiori Ecclesiæ censura notantur*. At illa severior censura ecclesiæ est excommunicatio, major.

Pag. 240. citat & probat testimonium Gersonis Parisiensis, qui dicit. *Sola itaque contumacia vera vel præsumta, renuens stare judicio ecclesiæ, reddit hominem pro Christiano se gerentem, dignum excommunicatione*.

Quærit iterum: *ubi Magistratui, carnalitatem bioticam & in ecclesiasticis negotiis, nullitatem & servitutem exprobro?* hoc negare mendacium est. Mend. 15

Part. 1. de jur. Majest. pag. 5. Dicit Magistratum tantum *ordinare peristatica rerum vere ecclesiasticarum, civilia, mundana, & biotica*.

Pag. 7. *Nullos actus formaliter ecclesiasticos Magistratus* &c. *obire potest, quà magistratus*.

Et

Et pag. 42. *Magistratus gubernatio, non est gubernatio Ecclesiæ sed politiæ circa Ecclesiam, sic vocari vult, ne ambiguis Cothurnis temporum iniquitati serviatur.*

Et pag. 4. *Magistratus non dirigit externum Ecclesiæ ordinem, in externis formaliter Ecclesiasticis; sed tantum in rebus quæ Ecclesiasticis implicitæ sunt, & externum hominem concernunt.*

Pag. 46. *Potestas Magistratus circa sacra, est jurisdictio civilis, de rebus quæ civiles & politicæ, rebus ecclesiasticis adjacent.*

Pag. 31. *Magistratus pius, spiritualem ecclesiæ potestatem agnoscit, ei se suaque subjicit:* quid magis servile est? quam se suaque subjicere debere potestati Ecclesiasticorum? Si hoc debet Magistratus. Tum quotidie nova dogmata comminiscentur, novos ritus & statuta, uti sub Papa videtur, & à Walachris in Walachria tentatum fuit, pro sua Hierarchia stabilienda. Quibus sese subjicere tenetur Magistratus sub pæna excommunicationis: impossibile est, quin totum imperium sint arrepturi Ecclesiastici: quia fastus eorum & avaritia nunquàm satiari potest: an non hoc est, in ecclesiasticis, Magistratibus exprobrare *nullitatem, Servitutem, & bioticam carnalitatem?*

ut

ut qui exequitur *modo carnali* pag. 26. *tantum biotica, adjacentia, nil verè ecclesiastici*: sed in illis debet se suaque subjicere ecclesiasticis.

Pergit. *ubi assero periculosum esse, magistratui assignare titulos Nutritii Ecclesiæ, & utriusque tabulæ Custodis?* mendacium est de hoc dubitare. Mend. 16

Part. 1. pag. 27. dicit *Cl. Vedelium illis titulis fucum facere, ad deviam sententiam staminandam, & sæpe ab aliis rapi in abusum, ut iis fundent nescio quam eminentem Magistratus potestatem, quæ si inde exstruatur, dicit hoc fieri consequentia inepta & fallaci: additque non esse nutritios proprie dictos, qui nutrimenta per se Ecclesiæ administrent.* &c. pergit.

Ubi externa Ecclesiæ negotia (inquit) *quæ ministri peragunt omni humano captu, & fastigio altius credi volo?* hoc non negat iterum sine aperto mendacio. Mend. 17.

Part. 1. pag. 86. *Dicit externum regimen ecclesiæ, ut prædicatio &c. licet sint τῶν ἔξω, tamen censenda esse ἐκ τῶν ἔσω* pro *internis* ecclesiæ, quod regimen dicit esse *Spirituale.*

Part. 2. pag. 143. *Ecclesiasticas leges ferre, est altioris virtutis & potestatis, quam civilis; nimirum ecclesiastica.*

Passim docet: formaliter Ecclesiastica negotia, etiam externa, *posita esse sub potestate ecclesiastica spirituali, in ordine ad supernaturalia.* part. 1. pag. 51. *ut ad hæc opera nulla potestas naturalis se possit extendere. Ne quidem politica potestas quæ summa est inter naturales potestates.*

Et part. 1. pag. 52. asserit, si Magistratui vel politicæ potestati detur potestas Ecclesiastica faciendi, & ad finem beatitudinis contendendi per se, tum pelagianismum induci, *quo nos Papistæ conantur deducere* inquit: ut certe non modo inter supernaturalia negotia, omni humana facultate altiora ponat externi Choragii ministeria; sed ab iis impudentius & præcisius excludat potestatem politicam, quam ipsi Papistæ, quos dicit Pelagianos esse, quod politicæ potestati hic nimis tribuant. Iterum quærit:

Mend. 18 *Ubi regimen Ecclesiæ in se absolutum, & quodammodo* αὐτοκρατορικὸν *statuo?* Mendacium est hoc negare.

Part. 1. pag. 16. & pag. 94. 95. ac passim demonstrat, totam potestatem Ecclesiæ datam esse Ecclesiæ, & Ecclesiasticis ut προεστῶσι, præpositis, neutiquam Magistratui, quia non est Ecclesia. Sed tantum

acci-

accidens Ecclesiæ, quod potest adesse & abesse citra subjecti corruptionem. Totum ergo regimen ecclesiæ, quod perfectum esse clamat, concludit intra Ecclesiam, extra quam ponit Magistratum qua Magistratum: ut in se absolutum statuat. part. 2. pag. 323. dicit reges & imperatores subesse ecclesiasticis, si fideles sint, *quia in ministerio eorum &c. fideles*, inquit, *considerant*, ἐπιταγὴν, *Servorum* οἰκονομικὴν *& Regis Christi in illis dicentis* αὐτοκρατορικὴν; quæ verba miror illum tam imprudenter effutiisse; ac nunc tam impudenter dissimilare.

Ubi pastores cum imperio punire dico? hoc iterum quærit cum mendacio. Mend. 19

Si cum imperio agunt omnia formaliter Ecclesiastica Pastores, certe quoque puniunt cum imperio. Nam censuram ponit inter formaliter Ecclesiastica. Sed jam ostendi ex ejus verbis, in ministerio pastorum considerari debere, ἐπιταγὴν αὐτοκρατορικὴν Christi, in illis mandantis, quæ certe magnum est imperium. Et ipse quoque ad se trahit locum Pauli Tit. 2. 15. *Hæc urge cum imperio.* Tandemque concludit *præceptum Prælati, id est Pastoris, hoc imperium habet.*

Alibi probat potestatem Pastorum esse

Regiam: ergo cum imperio ſua agunt, & puniunt. Pergit

Mend. 20 Ubi poteſtatem politicam nil quam circumſtantias Eccleſiæ, tractare contendo? id rogando iterum mentitur.

Videantur loca quæ citavi in diſcutiendo mendacio 15. apparebit, eum aperte dicere Magiſtratum tantum tractare περιστάτικα, & βιώτικα rerum mundanarum, quæ eccleſiæ extrinſece adjacent; ad res autem formaliter eccleſiaſticas, nec totaliter, nec partialiter, poſſe aſcendere; niſi Pelagianiſmum inducamus; hæc toties in illo occurrunt, ut nemo ea ignorare queat. Pergit mentiendo.

Mend. 21 *Ubi Gibeonitarum loco exiſtimo Magiſtratus pios?* (inquit) *qui neceſſariorum ſuppeditandorum ſervili officio, fraudem, & profanitatem ſemper debebant fateri.* Dubitat & ſimulat iterum cum mendacio.

Nimis apertum eſt Gibeonitis ſimiles, ab illo ſtatui, Magiſtratus pios.

Gibeonitæ non erant verè ſancti, ſed profani ratione Levitarum:

Sic Magiſtratus non ſunt vere ac ſpecialiter ſancti ratione Eccleſiaſticorum, ſed in quantum Magiſtratus & pii, ſeparati & excluſi ab omnibus negotiis formaliter

er Ecclesiasticis; quæ obire non possunt nec totaliter nec partialiter, nec soli, nec cum Ecclesiasticis.

Gibeonitæ non versabantur in vere sacris, sed extra & circa templaria: 2.

Sic Magistratus non est in Ecclesia in quantum Magistratus part. 1. pag. 24. illa phrasis est periculi plena (inquit) sed extra & circa Ecclesiam.

Gibeonitæ aquam & ligna conferebant 3. ut accidentia ad cultum requisita:

Sic Magistratus, peristatica & accidentia tantum procurare, nil formaliter Ecclesiastici debent attingere.

Gibeonitæ suum munus debebant obire 4. & Levitis subjici:

Sic Magistratus pii cumulare debent ecclesiasticos templis & stipendiis, & se suaque Ecclesiasticis subjicere.

Gibeonitæ fraudulenti erant, & magis 5. fraudulenti fuissent, si in templaria Levitarum negotia manum injecissent:

Sic Magistratus pios vult haberi Grallator cum suo Calderwood, *pro servis dolosis*, à quibus se cavere debent omnes generosi equi Ecclesiastici, qualis Grallator est. Immo quia per condescenden-

tiam ſe immiſcent , magno cum dolore Apollonianorum Zelotarum , quibuſdam formaliter Eccleſiaſticis ; annon tacite eos fraudulentos innuit , & ipſis Gibeonitis fraudulentiores ? pergat mentiendo.

De jure Maj. part. 1. pag. 100.

Ubi me infallibiliter Chriſto ſubordino ? ut quaſi cum illo authoritate identificer : id quoque negat cum mendacio.

Mend. 22

Illic nimirum, ubi ſe *legatum Chriſti* dicit, jure clavium ita inſtructum, ut qui illum *audiat, Chriſtū audiat* : ubi doctrinæ, & ſtatutis eccleſiaſticorum parendum eſſe aſſerit, ſub pæna excommunicationis ; ut ſi contingat illos male ſtatuiſſe, tamen parendum ſit cum modeſtia, & Deus orandus, ut ab eccleſiaſticis Præpoſitis melius ſtatuatur. Quæ bruta eſt & papalis ſubjectio. Jur. majeſt. part. 1. pag. 349.

Imprimis hoc quoque patet ex loco quem nuper citavi, ubi dicit in Miniſtris, eſſe ἐπιταγὴν αὐτοκρατορικὴν quaſi Chriſti in illis dicentis ; unde illis naſcatur, ut poteſtate miniſteriali imperent, hortentur, cum *imperio*. Hoc ſe Chriſto æquare eſt , quod Papa jam dudum fecit, nec Reformatos decet.

Mend. 23 Ultimo clamat , *ubi dominatum quæro in eccleſiam, magiſtratum, & mundum ?*

Certe

Certe ubi dictis, scriptis, & factis quæsivit Papatum. Papa enim ficto sanctitatis prætextu, sibi sumsit primùm potestatem docendi, & statuendi quod vellet in Ecclesia; cumque illius statutis non parerent homines, sumsit quoque jus eos Ecclesiasticè puniendi, & censurandi : hac via comparavit sibi imperium in Ecclesiam, ut oves; & quia inter has oves erant Principes, eos quoque ecclesiasticis pænis exterruit; ita ut paulatim ecclesiasticas pænas mutarit in politicas & mundanas; populum absolvendo à juramento, & tum clanculum tum apertè eos irritando in principes, ut rebelles ecclesiæ filios & digne ab se excommunicatos; & sic tandem occupavit imperium in mundum : non fuit semper voti sui compos, uti in Bonifacio VIII. & aliis visum est : sed quoties, animum populi superstitioso persuasu potuit imbuere, ut quod ille statuisset crederent, Christi statutum esse, apud illos quoque ut plurimum obtinuit, ut ad nutum suum subditi à principibus defecerint; unde illis proceribus necesse erat, vel fugere, vel mori, vel Papæ pedibus advolvi. Quod certe fuit summum imperium in mundum.

Hanc imperialem potestatem, vel saltem illam ex qua hæc necessario fluat; Grallator Mittelburgi quoque cæpit defendere scripto; & factis ostendere. fateor ejus imperium illic infantile adhuc fuisse; sed id tamen ostendi ante; non aliter quam in embrione apparent tenella omnia liniamenta corporis quadrati, ita quoque in illius doctrina, statutis, censura, & totius regiminis jure, apparere omnia liniamenta Papatus; unde nil aliud tandem existere necesse sit, quam ut illic Walachri, sibi comparassint imperium absolutum in Ecclesiam, Magistratum, & Mundum: ut id factis ostenderant. Fateor ipsum Grallatorem nunc mirari sua figmenta; & vix sibi jam credere; sed ex dictis apparet, omnia ab illo scripta esse, vel apertis verbis, vel necessario consequenti; de quibus ipse quasi dubitando indignatur. Ut non mirandum sit, quod ab Classicis ejus subsignanis, tam facile approbata sint ejus commenta, cum non illi modo, sed ne Grallator quidem, author & inventor tot figmentorum, non satis intellexerit aut perpenderit, quid veneni continerent. Quod in Bombomachia monueram pag. 11. hanc seriem mendaciorum negantium, inveniet

Lector

Lector in una pagina Epist. Apoll. pag. 12. proferam alia mendacia affirmantia, in quibus falsum asserit.

Gral. Epist. pag. 33. *primo pro formaliter ecclesiasticis & non tangendis statuit, verbi divini praeconium publicum cum annexa Sacramentorum celebratione. Quae munera dicit jure divino ministris solis tradita esse; nec à Magistratu Christiano obiri posse ob defectum juris ex limitatione divina. Atque omnes reformatos ad Remonstrantes usque esse concordes in hoc asserto adstruendo. Erastum medicum hactenus tantum repertum fuisse, qui id ausus fuerit mussitare: ex cujus fonte me hausisse ait quidquid propino veneni.* Digna Grallatore impostura, & mendacium. Mend. 24

In hoc enim inscite vel perverse impostorem agit; quod ab vero controversiae statu lectorem abducit, & interrogatus quasi de alliis, respondet de cepis. Non enim hoc propriè quaeritur, An Ecclesiae utile & necessarium sit, ut semper in ea sint, quibus docendi, & administrandorum Sacramentorum onus incumbat? nec etiam an Magistratus politicus ab istis negotiis debeat abstinere? id Grallatori contra me asserere non erat necesse: quia utrumque in Grallis; scriptura, & rationibus astrui: imprimis tra-

ctatu

ſtatu de vocatione, & in præfatione; ubi expreſſe ſcripſi, ordinem & decorum violaturum eſſe, ſi quis citra neceſſitatem, miniſterio hodierno, manum immittat. Ut ergo duos illos mendaces hic convincam, qui paſſim contra conſcientiam clamitant, me quibuſvis prædicandi & Sacramenta adminiſtrandi licentiam tribuere: verum genuinum controverſiæ ſtatum proponam; qui eſt:

An publicè prædicandi, & Sacramenta adminiſtrandi negotia, hodie ſint ſpeciali jure ſancta & formaliter eccleſiaſtica, ſicut olim ſacra templi munera quæ ſolis Levitis & ſacerdotibus à Deo conceſſa erant, aliis vero prohibita ſub pæna ſacrilegii? Aſſertum eſt in Grallis, eſſe quidem communi modo ſancta, ratione *Authoris Dei, & finis, qui eſt animarum ſalus*: nec tamen in iis reperiri, ſpecialem illum Sanctitatis modum, qui olim ob expreſſam Dei Ordinationem erat in propriis & templariis Sacerdotum negotiis, in quorum cenſu erant *arcam geſtare, thus adolere, Sacrificare, Sanctuarium ingredi* & alia. Utcunque enim id oneris quoque Sacerdotibus impoſitum fuerit à Deo, ut *legem cuſtodirent*, eam publice prælegerent, ac docerent; ab iis tamen non ita remoti fuere reges & proceres politici,

ci, aliique qui ex Sacerdotum aut Levitarum numero non erant : quin ea potuerint tangere & obire ſine ſacrilegio, ut in Grallis oſtendi : & in hodierna prædicatione adeo manifeſtum eſt, ut ipſe Grallator ſui quaſi oblitus, in conſiderationibus ad Anglos pag. 52. aperte fateatur, privatos fideles, hoc officium publicum docendi quoque obire poſſe, re ſic poſtulante; quod certe nulla neceſſitate urgente in propriis & templariis Levitarum negotiis ſine ſacrilegio fieri potuiſſet.

Unde jam colligo impoſturæ cum veteribus Papiſtis convictos hic eſſe novos Walachros Papiſtas, qui incommunicabilem Leviticorum negotiorum ſanctitatem, ſuis prædicandi, & Sacramenta adminiſtrandi negotiis perverſe aptare nituntur, tractis etiam ad hoc Uſæ, Uſiæ, & reliquorum ſacrilegorum funeſtis exemplis. Imprimis vero notabili Apoſtoli ad Hebræos loco: cujus corruptelas in Grallis late oſtendi, pag. 287. 288. &c. ut inſignis quoque falſitas ſit & impoſtura, quam committunt Walachri mendaces; quod ex hoc aſſerto meo calumnioſe concludant & clamitent, me Ordinem omnem ex eccleſia ſublatum velle; ſic ut cuique concedam tumul- Heb. 5.4.

multuarie in ecclesiæ hodierna negotia involare : quod in Grallis scriptum non reperient ; & sine dubio confusionem pareret ; quam ubique ab ecclesia longe amandatam volui. Ut hic certe magnum videamus Grallatoris, & Bombomachidis mendacium.

Mend.25 Apoll. Epist. p.38.39. &c. *inter formaliter ecclesiastica quoque numerat, exercitium clavium regni cælestis, & disciplinam Ecclesiæ, quæ sit censura minor & major. Quam clamat me cum Erasto non solum rejicere, sed eum sceleratis, scandalo inquinatis, & perditis hominibus.* Quod multiplex mendacium est!

Primo enim mentiendi veterem Mechanicam in hoc exercet; quod Lectori persuadet, me omnem clavium usum ab Ecclesia exterminatum velle : cum contrarium in Grallis possint videre quotquot oculis utantur. Audiat ergo iterum, verum ζητούμενον & quæsitum : *Utrum adhuc hodie in Ecclesia Christi sint vera & genuina claves Apostolicæ, quas Christus Petro & Apostolis dedit?* Hoc cum Papistis audacter jactat Grallator in centonibus; ego dico *papisticum mendacium* esse. Consistebat enim hoc jus in vera & proprie dicta jurisdictione,

ne,

ne, quâ divinitus illis concessa; perpetuo ratum erat in Cælo, & ab hominibus quoque ratum haberi volebat Deus, quidquid illi in Ecclesia dicerent, docerent, vel statuerent. Quæ jurisdictio quoque non dependebat à nuda ordinatione Dei, sed præcipue ab extraordinariis donis quibus illos ornaverat: his cessantibus, cessavit quoque illa jurisdictio. Fateor apud Reformatos ac in ipsa Catechesi nostra, disciplinam Ecclesiæ & prædicationem Euangelii, nomine clavium cæli indigetari; sed impropriè, nec unquam credo alicui in mentem venisse, ut jus & jurisdictionem illam clavium Apostolicarum, adhuc hodie remansisse crederet: ne id quidem diffiteor, alium alio, in hoc ecclesiæ jure extollendo fuisse largiorem; sed nemo id impudentius jactavit quam Papa Romanus post Apostolorum tempora: ut se clavium Petri prætextu jactet *infallibilem* esse in Cathedra, & jus habere cælum aperiendi, & claudendi, pro arbitrio. Hunc fastum quia valde miratur & ambit Grallator ille Walachrus, dixi merito, veterem illam Gonorrhæam & profluvia meretricis Babylonicæ, ut canem impurum turpiter resorbere, à quibus hactenus omnes Reformati nausearunt.

Fin-

Fingit Secundò, me ſcribere *omnem cenſuram ab Eccleſia removendam eſſe.* Quod mendacium eſt! Scripſi enim contra, *nil certius eſſe, quam peccandi licentiam in Dei populo compeſcendam, & ſcandala tollenda eſſe.* Et pag. 150. oſtendi quoque, Deum cenſurandi officium in ſuo populo inſtituiſſe. Et multa alia quæ ibi extant & evincunt Calumniam eſſe & mendacium, Grallatoris hoc figmentum.

Grallar. pag. 140

Tertiò quoque mentitur, cum ait, *me omnem cenſuram ab eccleſia remotam velle, quæ per abſtentionem à cœna exercetur in Eccleſiis noſtris.* Quod Grallarum paginas rimando non inveniet, ne quidem ex conſequenti. Dixi *humanum inventum eſſe*; an igitur ab eccleſiis penitus removendam volui? Certe multa humani ingenii inventa in eccleſiis recte permittuntur, modo ædificationi eccleſiæ poſſint inſervire. Scripſi quoque *Romanæ matris fœtidas ſecundinas & ſordes eſſe, cenſuram minorem & majorem Eccleſiis noſtris ab nativitate adhærentes*: ſed Grallatoriam, Walachro-papiſticam, Abſolutam & ſpeciali jure ſanctam, quam ſi politici audeant attingere vel tractare, ut Uſa & Uſia, Sacrilegos fore. Hanc cenſurariam ſcripſi in Romana eccleſia Anti-

chri-

christum peperisse, & monui porro Illust. Ordin. daturam esse cito in unitis provinciis multos Papas & Antichristos, politicæ Majestatis contemptores, ni tempestivè & serio providerint.

Quartò mendacium quoque est & calumnia; *quod soli Erasto, ac sceleratis, impiis, & perditis hominibus* (ut loquitur) *me velit adnumerari*. Certe si oculos non clausisset ille vespertilio, non opus erat ut ad Erastum hic confugeret, multo minus ad homines perditos & sceleratos, ut tales inveniret qui idem nobiscum senserint. Solæ enim Grallarum pag. 178. 179. 180. 181. &c. illum hic poterant convincere, reperiri Ecclesias reformatas, (nostris Belgicis, reformationis antiquitate, fidei puritate, & sinceritate morum haud cedentes.) quæ id ipsum quod in Grallis scripsi tenuere. Ut certe Grallator ille Walachrus perpulchre stolidus sit, qui contrarium ex Gualtero & Helvetica confessione lectori conatus sit obtrudere. Epi. pag. 38. 39. ne igitur mentiendo fucum faciat cordatis politicis, pauca iterum ex scriptis Doctorum Virorum adscribere non pigebit.

Bullingerus in Epistola ad Petrum Dathenum

thenum Tigur. 1. Januar. 1570. hunc in modum scribit. *Quæ nostra sit semperque fuerit sententia de disciplina ecclesiastica, ignorare non potes, cum quasi nuper edita confessione Helveticarum ecclesiarum, eam attigerimus breviter. Nunquam docuimus nos, nullam in ecclesia esse debere disciplinam: quam sane necessariam esse fatemur. De modo & ratione hujus disciplinæ, non unum vel idem omnium est & semper fuit judicium. Nostra ecclesia (arrigat aures Grallator) nunquam disciplinæ ecclesiasticæ immiscuit cœnam Domini mysticam.* &c. quæ latius in Grallis descripta Lector inveniet pag. 178. quibus consonantia quoque sunt Rodolphi Gualteri verba, in Epistol. *ad Carolum Jonvillæum script. prid. Kal. Maii anno* 1570. *quæ sonant, Si de excommunicatione dicendum sit, nunquam ea nobis prorsus aut in genere damnata est: quia & legibus illa nostris præcipitur, qua à tribuum Societate & publicorum pascuorum Vsufructu excluduntur, qui contemptis admonitionibus tam publicis quam privatis, aliter vivunt quam homines Christianos deceat; ut vero aliqui à cœna Domini arceantur, id in nostris Ecclesiis nunquam receptum fuit: ut nec in multis aliis. quas tamen ob neglectam fidei & doctrinæ puritatem, aut ob introductam morum licentiam,*

nemo

nemo huc usque merito potuit accusare. Nec enim à quoquam hactenus idoneis, & firmis argumentis demonstratum fuisse vidimus, exclusionis aut separationis Symbolum ex ea fieri debere, qua ecclesia colligi, & ejus unitas conservari atque foveri debet, quo nomine illam veteres συνάξιν dixerunt. Et post: *cur novum & inauditum dicatur quod in nostra ecclesia jam inde ab initio per annos 50. receptum fuit? Zwinglius certe B. M. primus religionis apud Helvetios instaurator, eadem diserte scripsit, in amica ad Lutherum exegesi, quæ nos hodie docemus & sentimus.* Hæc sunt doctorum virorum testimonia, ex quibus constat, externum illud censurandi cultus negotium in ecclesiis nostris usitatum, nunquam unanimi Reformatorum calculo receptum fuisse pro re sacra, sancta, & divini juris, sed solum adiaphora; ut qui ea uti vellent; non rigide, vel ut præcisi juris instituto uterentur; sed quemadmodum Helvetica confessio loquitur, (quam Grallator adduxit) *pro tempore, status publici ratione, & prout necessitas requirit.*

Quæ certe ratio quoque fuit, quod Illustres & Præpotentes Ordines, hodiernum censurandi modum ecclesiasticis quidem concesserint; sic tamen ut à præcipuo ejus

fulmine ita noluerint abſtinere, quin illi quoque leges præfigerent: quod ſine Sacrilegio Uſæ, & Vſiæ haud feciſſent, ſi verum eſſet ſomnium Specialis juris & Sanctitatis cenſuræ majoris & minoris, quod Grallator Walachrus Papa pimulus, in ſuo Vaticano dormiens ſomniavit. Vt nunc evidens ſit, verum controverſiæ ſtatum non eſſe; *an cenſura aliqua in eccleſia ſit exercenda?* vel *utrum modus ille cenſurandi, qui in Eccleſiis noſtris receptus eſt, exterminandus ſit?* quod Grallator mentitur me aſſerere. Sed *an Eccleſiaſtici hodie eam exerceant tam ſpeciali & ſāncto jure, ut ſi Politici eam introſpicere, vel examinare, vel non bene ab Eccleſiaſticis adminiſtrandam inhibere, vel male adminiſtratam corrigere audeant;* commiſſuros eſſe Sacrilegium Vſæ & Vſię. Id Grallator paſſim in Centonibus tuetur. Ego mendacium eſſe dico, & papiſticum figmentum; nec reformatos id dogma recipere, ſed ad unum omnes rejicere quotquot tenorem & conſenſum eccleſiarum ſequuntur in his provinciis conſtitutum. Verum de hoc mendacio ſatis, tranſeo ad aliud.

Mend. 26 Grallator Epiſt. pag. 47. 48. &c. inter formaliter Eccleſiaſtica, & ſpeciali jure ſancta numerat *vocationem & electionem miniſtro-*

ministrorum. Additque, *Arillator noster hæc videt*; & ut Summatim dicam, statuit *me Christianitatis privilegium tam amplum facere, ut neminem à sacrorum ecclesiasticorum administratione excludam, modo donis sit instructus: atque adeo Sociniano, Arminiano, ac Anabaptistico furore, ministerii honorem, & Dei institutum auferre, atque sic Libertinorum vestigiis insistere.*

Ubi primo erronis vagi in morem; quærit viam sibi satis notam, quam simulat se nescire.

Non enim hic quæritur, utrum hodie atque semper in Ecclesia debeat esse prædicandi ministerium? utrum sacrum & sanctum sit? utrum in domo Dei ordine omnia (quoad fieri potest) sint administranda? utrum eligendi & ordinandi sint in ecclesia, qui ecclesiæ functiones obeant? ne quidem, utrum hæc legitime & composite debeant fieri? id negare tam portentosum est, ut ne omnibus quidem (quos recenset) hæreticis, nec Papæ ipsi ignotum fuerit, tantum abest ut ego id negem; sicut mentiendo mihi studet imponere. Nam tantum abest ut ego id negem; ut potius totum de vocatione tractatum Grallis interjecerim à pag. 241. nec quicquam magis

 indigner

indigner; quam quod Grallator cum ſibi ſimilibus, Simonia, aliiſque profanis circumventionibns, & apertis fraudibus, hoc utile & venerandum vocationis eccleſiaſticæ negotium ita turpiter corrumpant: uti annotavi in Grallis pag. 251.

Primum quæſitum in hoc eſt; utrum ſoli eccleſiæ & eccleſiaſticis (ut loquitur) ſit poteſtas eligendi & ordinandi Miniſtros; tam præciſo SS. & eccleſiaſtico jure; ut ſi magiſtratus politicus pius & reformatus, id negotium obeat formaliter commiſſurus ſit Sacrilegium Uſæ vel Uſiæ? quod papiſtarum more ſtolidus Grallator veteratorie minatur politicis; ſed veteris novique teſtamenti, exemplis & praxi refellitur. Salomon certe Abiatharum relegavit, ut à Sacerdotio depelleret; idemque Sadocum in pontificem ſurrogavit: Ioſaphat doctores urbatim miſit cum libro legis ad prędicandum; non eccleſiaſticos modo ſed & politicos illi negotio præficiens, nulla certè alia poteſtate fretus, quam Regia & Architectonica; qua ſe divinitus armatum ſciebat ad faciendum omnia (qualiacunque) modò ſpeciali lege non eſſent interdicta: ſicut fuere propria Levitarum officia; non autem mittendi vocandique negotia: quæ ille propterea

pterea (ut Scriptura loquitur) non minus generoſe quam pie ſibi vendicavit, quorum veſtigia dein piè & prudenter ſunt ſequuti Cæſares Chriſtiani; quos Grallator tamen Walachro-Papiſtarũ Papa, & Antichriſtus, eo nomine reprehendit; & contrà Carolum Magnum & Ludovicum Pium laudat, qui penitus abdicato vocandi negotio, eccleſiaſticis id in ſolidum conceſſere. ubi non animadvertit ille tenebrio, ſe non Grallatorem modo hic agere, ſed veſpertilionum more ad claram lucem cæcutire; primò quia non videt, (quod hiſtoriæ teſtantur) peſſima & execrabili Cæſarum & eccleſiaſticorũ nundinatione id factum fuiſſe; & tunc demum vidiſſe mundum (quod nunquam ante) Eccleſiaſtica ſcelerum portenta & prodigia, quæ Antichriſtum peperere, ut hinc certo experimento compertum ſit; nunquam vocandi licentiam eccleſiaſticis concedi poſſe, quin vocandi hoc negotium ſtatim, Simonia, & multis fraudibus corrumpant. quod vel ipſius Grallatoris exemplo conſtat; qui poſtquam in Walachria, ſingulare hoc beneficium ab Illuſt. Zeeland. Ordin. adeptus fuit, ut in vocatione, aliiſque eccleſiaſticis negotiis exercendis plus libertatis haberet: tamen inde tam Simoniacus, imperandi avi-

dus, fastuque inexplebilis factus sit, ut non modo ad nundinationes & lucrum, omnes illas prærogativas transferret, sed ipsis suis principibus, ac jurum donatoribus contemptim scriptis factisque illuderet, ut in Grallis & ante ostensum fuit. Vt jam videat mentiendi suum vetus vitium Grallator, quod me vocationis sanctitatem legitimam sublatam velle persuadeat, quam tamen divino pristinoque vigori restituere propositum fuit, longe fugatis veterum novorumque Papistarum figmentis, quibus tanquam Antichristico colore & pigmento; verum ejus usum, veramque dignitatem, Ecclesiæ Christi ereptam cupiunt.

Alterum quæsitum est, utrum Ecclesiastica ordonatione donatis, inde accedat specialis juris Sanctitas? qualis olim Levitis erat ex Dei ordinatione; id cum papistis somniavit Grallator; verum si oculos aperuisset, vidisset certe in scripturis rem aliter se habere. Vnus enim locus extat, Act. 13. qui contrarium evincit. ubi narratur, quod ecclesia separavit, & manibus impositis ordinavit Paulum & Barnabam, ad prædicationem inter gentes: & quid inde? an Paulus illa Cheirothesia factus est Apostolus? vel privilegio donatus, ut solis gentibus

tibus prædicaret cum Barnaba, atque inde Specialis juris Leviticam Sanctitatem acciperet? quin imo jam ante factus erat Apostolus, & omnibus promiscuè diu prædicaverat, Judæis non solum, sed gentibus. Neque post acceptam Cheirothesiam aliis erat illicitum ut gentibus prædicarent, quibus ad prædicandum manus non erant impositæ. Quid igitur? communis juris speciale onus acceperunt, quo solemniter suscepto, ita speciatim obstringebantur, ut quomodocunque alii hac vel illa occasione isti oneri se potuerint subducere, illi tamen indefesso labore ac studio huic se totos debuerint mancipare.

Vnde, nunc manifestum fit quantis imposturis olim illuserit Christianis vetus Papa, & hodie conetur papula iste Walachrus, tam ample deprædicando illas, vocationis, maximè ordinationis, & manuum impositionis, formalitates ecclesiasticas, (quales hodie sunt) quasi mirificæ sanctitatis authoritatisque essent feraces: Cum sanctitatem specialem non contulerint, sed potius in se gratulatoriæ; Benedictionis & suscepti oneris fuerint testimonia. Haud aliter ac hodie dextræ datione fausta precamur amicis; dum ad longinquum vel pe-

riculosum negotium proficiscuntur: factus Antichristi ex hoc negotio (uti in multis aliis) fecit tragicum lusum; cujus prætextu dein pastores superbire didicerunt: ut non mirum sit, tam mirifice illos tumultuari, cum ad originis Apostolicæ simplicitatem omnia me reducere vident; à qua moderatione tam longe recesserunt hodierni hierarchæ; ut nunc totam vocationis & ministerii sanctitatem tolli putent, quotiens ab Antichristi typho, ad Apostolicam modestiam, coguntur resilire. hinc enim Grallatoris clamores, quibus mentiendo tumultuatur atque clamitat: omnem ministerii & ministrorum dignitatem me cum fanaticis & libertinis tollere; quod prædicatoribus hodiernis, Leviticam & Specialis juris Sanctitatem ademptam cupiam, quasi in illa non minus sita sint totius hodierni ministerii splendor atque sanctitas, quam ipsorum ministrorum dignitas: Cum ex antedictis constet, papisticum figmentum & mendacium esse, quidquid illi de Levitica illa Specialis juris Sanctitate, tam operose nugantur atque garriunt. Vidimus enim Ordinationem, quæ Cheirothesia fit, Speciale onus, non autem Leviticum privilegium contulisse Paulo atque

Bar-

Barnabæ, quod si ne illa quidem quæ du- ctore & moderatore Spiritu sancto facta fuit, id fecit? quid ex illa fiet? quæ hodie, humano ductu, & humanis ac perversis artibus sæpe celebratur, ut in Grallis monui, fateor multum quoque discriminis intercedere inter Paulum & Barnabam, & illos qui hodie ad prędicandi munus ordinantur: id tamen nequaquam obstat, quin verum sit quod statuo: quia certum est (modo omnia recte fiant) illos qui hodie ab Ecclesiis eliguntur cum Paulo & Barnaba, id commune habere, quod manuum impositione Ecclesiis non præficiantur, nisi primitus ad docendum formati sint, electi & vocati à Deo. Sicut ipse Calvin. testatur in Comment. ad locum Act. 13. 2. & res ipsa aperte dictat in omnibus iis, qui ad sacra ministeria hodie promoventur. Quorum nullus admittitur, nisi publice, atque ipso facto ostenderit, se a Deo, ad docendum formatum, vocatum, & quasi electum esse. Quæ certe hodie omnium divinissima est vocatio, & à solis donis dependet; multisque parasangis, dignitate & sanctitate illam superat, quæ sola Ecclesiæ electione & ordinatione constat. utcunque enim speciale onus conferre possit,

veram tamen muneris prædicatorii ſanctitatem conferre nequit, ut garriunt veteres & novi Papiſtæ. Quia (ut dixi) unice à donis pendet. Atque in eo à Levitica ſanctitate multum differt, quæ potiſſimum in Dei Ordinatione conſiſtebat. Verum de hoc mendacio ſatis, ſequatur aliud.

Mend. 27 Apol. Epiſt. pag. 51. &c. inter Eccleſiaſtica negotia numerat *officium publicum judicandi de rebus ſacris.* Hoc quia *ſpeciali jure ſanctum, & formaliter Eccleſiaſticum* dixerat in centonibus: ego ut papiſticum figmentum in Grallis quoque disjeci; & oſtendi quidnam de jure Claſſium, Synodorum, & Eccleſiaſticæ dependentiæ credendum eſſet ex ſcripturis. Ad quæ Grallator furibundi in morem, mendaciorum procellas movet, convitiorumque plauſtra ſpargit ac in me projicit.

Ubi primum hoc notandum, quod ſcribit, *nuſquam à ſe determinatum, utrum ſacrilegus ſit Magiſtratus, ſi Conſiſtorio, Claſſibus, Synodiſque pro authoritate ſe admiſceat, aut ea impediat.* Quod certe apertum mendacium eſt! ſcripſit enim in Centonibus part. 1. pag. 119. 120. & paſſim. *Res eccleſiaſticas definitivo judicio definire, negotium eſſe formaliter Eccleſiaſticum,*

cum, solis ecclesiasticis personis divinitus concessum, & Magistratibus interdictum. Quæ negotia passim quoque asseveravit *sancta esse non communi, sed speciali modo, ut olim erant Levitica officia, quæ nemo peregrinus sine sacrilegio poterat attingere.* Quòd inculcavit ad nauseam in centonibus & novissime in Epist. pag. 48. adductis in eum finem *Corachi*, *Dathani*, & *Abyrami* exemplis; qui, cum prætextu Sanctitatis communis, munia speciali jure sancta invadere attentassent, Dei vindicta ceciderunt.

Secundo non minor impostura est, quod ejusdem Epist. pag. 54. Lectori persuadet, *me cum Atheis & Libertinis nullos publicos verbi præcones, nullos scripturæ interpretes vel judices agnoscere ordinarios, ex officio.* Quæ totidem sunt mendacia!

Non enim quæritur, an tales sint vel esse debeant ex Dei ordinatione? sed an illis solis hoc judicandi munus concessum sit speciali ac sancto privilegio, ut olim templaria negotia Levitis & Sacerdotibus? hoc Grallatoris est assertum; quod ego papisticum figmentum & mendacium esse dico. Quod veteres reformatores jam dudum rejecerunt, ut in Bellarmin. videre est. lib. 1. de Concil. cap. 16. ubi adversus illos disputat

putat Walachro-Papistarum more. Non tam prophetiæ & scientiæ donis, quam ordinationi Ecclesiasticæ & vocationi, illam judicandi potestatem alligans. Contra apertum Apostoli statutum & morem; qui non habito Specialis ordinationis respectu,
1 Cor. 14 *spiritum prophetarum, prophetis subjectum esse docet.* Ea ratione non larvas pastoritias Ecclesiis & Ecclesiasticis judiciis solum præficiens, sed eos qui prophetiæ donis pollent in Ecclesiis.

Quæ ratio tam evidens, pontificios aliquos permovit, ut ipso Grallatore Walachro minus papissarint in hoc dogmate asserendo. Ipse enim Nicolaus I. Papa in epistola quadam, cujus verba habentur in distinct. 96. Canon. Ubinam; non regibus modo sed ipsis laïcis concedit locum in concilio, cum universale est, & de fide controvertitur: *quia fides non Clericorum tantum sed omnium Christianorum est.* qua ratione ducti Panormitanus & Ioannes Gerson veteres
* Panor. in cap. significasti de Elect. Papistæ, asserunt; * *Unius privati sententiam præponendam esse sententiæ Papæ, si ille privatus moveatur melioribus auctoritatibus testamenti veteris ac novi.* Et * *quemcumque hominem doctum posse & debere toti Concilio resistere, si videat illud ex ignorantia, vel malitia peccare.*
*Gerson. in Exam. Doct. part. 1.

Cujus

Cujus ratio quoque manifesta est; cum enim Episcopi vocentur in Episcopos, & deinde ad Concilia mittantur quia doctiores; si ergo laïci reperti sint illis doctiores, vel saltem æque docti, ad Ecclesiastica judicia merito admittuntur; sicut inter Apostolos usitatum fuisse constat, ex loco Paul. act. 15. ubi non tantum ad judicandum convenisse dicuntur Apostoli ac præsbyteri, sed tota Ecclesiæ multitudo; qua præsente totum hoc judiciale negotium ita ibi actum & transactum esse narratur, ut paucis loquentibus, omnibus vero aliis tacentibus & judicantibus, (sicut à Paulo ordinatum fuit) omnium nomine pronunciatum fuerit judicium; & dein promulgatum, ad exteras Ecclesias ut Lucas refert. Quæ certe Apostolica judicandi simplicitas multum distat à Tyrannica illa Iurisdictione Specialis juris & sanctitatis, quam introduxit in Ecclesiam Christi, Antichristus Papa; & Walachri venantur: cujus vis in eo sita est, ut soli judicent aliis omnibus remotis, non tam quia docti; quam quod Ecclesiastica vocatione inaugurati, sint personæ publicæ; Ecclesiastica jurisdictione donati, haud aliter ac seculares judices Politicâ; ut si vel centum, vel quinquaginta Ecclesiastici asini

1 Cor. 14

suffra-

ſuffragiis vincant, & tota Eccleſiæ multitudo majoribus donis ſæpe abundent, illis tamen tanquam *Authoritativis judicibus* ſe ſuaque teneantur ſubmittere filiali ſubjectione: uti egregie cum papiſtis non ſolum balbutire, ſed jam diſerte loqui didicit Grallator Walachrus, ut ne hilum à veteribus papiſtis differat, in eo etiam papiſtis multo iniquior; quod hi ob infallibilitatis privilegium ſibi credi velint; ille autem ſuæ fallibilitatis conſcius; filiali tamen, & cæca obedientia ſibi obediri cupiat ſub excommunicationis pæna. Quæ papiſtica & major Tyrannis eſt. Scribit enim: *Hinc qui dubitant de veritate Sententiæ à Synodo pronunciatæ, aut ob leves & probabiles rationes eam falſam eſſe putant, atque adeo non certo ſciant eam eſſe talem, tenentur decreto Synodico præſtare obedientiam talem quæ ordini & decoro eo in caſu conſentanea eſt. Quæ obedientia Chriſtianæ humilitatis & modeſtiæ eſt obſequium; quo fideles in ejuſmodi caſu abſtinent à publica ſeu aperta tam profeſſione ſuæ ſententiæ à Synodo pronunciatæ. Et interim ſollicite ſcrutando ſcripturas, veritatem indagant Deumque orant, ut veritatem ſuam hominibus manifeſtet, & Synodi lapſus ſeu errores detegat iis, quibus Eccleſia cura commiſſa eſt: ut illis agnitis,*

Jur. Maj. part. 1. pag. 248. & 249.

contra-

contraria & sana doctrina in alio saniore Concilio stabiliatur. Hæc sunt Grallatoris verba in quibus papismi fermentum latere, certe cæcus sit qui non videat; etsi enim in Centonibus pag. 247. à papistis recedere videtur, quod scribat, à Synodi decreto esse recedendum, *quotiescunque evidenti argumento falsa vel impia statuit*; si quis tamen hæc Grallatoris verba recte perpenderit, facile animadvertet pro forma tantum ab illo scribi, ut decipiat incautos, & papismi fermentum tegat: mox enim ubi declarat, quodnam argumentum pro evidenti sit habendum? respondet, se cum Valentia pontificio Doctore sentire; qui statuit pro evidenti argumento habendum esse, non quod privatus aliquis subito vel ex passione, sed prudentes & periti (*hoc est ecclesiastici judices ut ego interpretor, & Valentia sentit*) evidens esse judicant: hoc autem quid aliud quam quod papistæ statuunt? ab Ecclesiasticorum judicio nunquam decedendum esse quomodocunque illi judicent; nisi ipsi fateantur se falsum judicasse: adeo ut volente Grallatore omnes tandem Christi oves divina Ordinatione cum pastoribus suis perpetuo errare teneantur, utcunque fallibiles esse sciant, & se cum illis errare

rare

rare ſentiant: ne poteſtate divini juris (hodiernis Eccleſiaſticis conceſſa) excommunicentur, & diabolo tradantur. Quæ Tyrannis eſt, Papiſtica deterior; cui tamen, (ſi vera eſſe credantur quæ Grallator Walachrus in Centonibus tuetur) non vulgares oves Chriſti ſolum, ſed ipſi populi principes ſe ſubjicere tenentur, *Divino, & Spirituali jure:* Cujus contrarium ex antedictis adeo conſtat, ut nullus dubitandi locus ſupereſſe queat. Quia enim ex antecedentibus conſtat, docendi & judicandi officium paſtoribus non convenire *ſpeciali & ſancto jure*; ſed laïcis quoque conceſſum eſſe; hinc nemini dubium eſſe poteſt, quin Regi id quoque competat potiori jure; cui architectonica poteſtate armato, tanta vis eſt & authoritas, ut nil ſit in toto Regno quod non ſubjaceat illius poteſtati, & quod facere non poſſit, modo habilis ſit, & abſtineat ab iis quæ Deus expreſſa lege illi interdixit; qualia olim erant Sacerdotum negotia, quæ Uſias volebat obire: extra quos caſus omnia illi ſubjacent; etiam quæcunque ab Eccleſiæ præpoſitis in Eccleſiaſticis conventibus peraguntur: quia enim hodie Eccleſiæ Miniſtris, non eſt Specialis juris Sanctitas; à vocatione oriens

ut

ut olim Levitis, & ordinaria tantum dona habeant, quæ abſolutam juriſdictionem & Apoſtolicam, Speciali jure ſanctam nequeant conſtituere; quis non videt futile & ſuperſtitioſum figmentum eſſe, & ſtolide à veteribus Papiſtis mutuatum, quod producunt Walachri illi turbones; principi politico non convenire judicium deciſivum in hodiernis ſacris & Eccleſiæ negotiis: quod Vigeſimum Septimum capitale ſit mendacium.

Statuit inter *formaliter eccleſiaſtica jus faciendi leges* διατακτικῶς, *de rebus ad ordinem ſpectantibus*, Ep. pag. 59. & 61. *quas tamen, anathematum fulmine puniri non vult. Ad hæc noſter Arillator, nil niſi conficta mendacia, ut locum citem* (inquit) *in quo expreſſe contraria defendo.* Sed hoc quoque multiplex mendacium eſt. Solito iterum fallendi more, ſtatum pervertit, non enim quæritur an eccleſia poſſit leges externi ordinis facere, ad cultus decorem? quod aperte aſtruitur in Grallis pag. 168. &c. Mend. 28

Sed an hoc jus ſit ſpecialis & divini juris? ſic ut ab hac nomothetica, tanquam re formaliter eccleſiaſtica, debeat abſtinere magiſtratus pius, ob carentiam vocationis eccleſiaſticæ, idque ſub pæna Sacrilegii.

ita hanc rem explicat Grallator, Iur. Majest. part. 1. pag. 3. Hoc ego dico esse Papisticum figmentum & mendacium: quia Magistratui pio liceat & cum Ecclesia & seorsim, de his rebus deliberare & leges statuere ac promulgare; sine ullo periculo, modò Scripturæ & Rationi conveniant: extra quem casum Ecclesiasticæ leges quoque sunt rejiciendæ: Specialem autem illam legislatoriam sanctitatem Ecclesiasticorum, Scriptura sacra ignorat; sed Papa callide finxit, unde eam Grallator mutuatus est.

Rursus: utrum leges ab Ecclesiasticis ordinatæ, tanto rigore observari debeant, ut transgressores excommunicatione puniri possint? id affirmat Grallator; tamen quasi mente captus, hic negat se affirmasse, immo dicit me locum allegare in quo contrarium defendat: quod sane geminum est mendacium.

De Iur. Maj. part. 2. pag. 230. dicit apertè *in Casu contemptus* & *scandali anathematum fulmine uti posse Ecclesiam, in legibus de indifferentibus* & pag. 237. *leges Ecclesiasticæ, ob simplicem transgressionem vindicanda non sunt anathematum fulmine.* Unde sequitur cum contumacia adsit, id fieri posse.

Aper-

Apertissime hoc dicit;

Pag. 238. *at si contumaci contemptu, eutaxiæ leges proculcantur severiori Ecclesiæ censura notantur.* Hæ sunt paginæ quas ipse citat, ex quibus apparet ex Grallatoris sententia, leges Ecclesiasticas, si contumax contemptus adsit, posse Ecclesiæ fulmine & gravi excommunicatione puniri; quæ assertio non modo falsa & Papistica est, sed tyrannica: quomodo enim lex de re indifferente & levi, potest fundare supplicium tam grande? id autem fiet, si contemptus tam levis rei, tam gravem pœnam post se trahat: tam vertiginosus est Grallator, ut ipse sua asserta destruens, ex Parkero asserat; *ad contemptum magni momenti, requiri quoque delictum magni momenti.* Vide ibid. pag. 239. unde ipse ostendit; iniquum esse si tam atrox pœna Anathematis stringatur, ob contemptum legis Ecclesiasticæ de re levi & adiaphora, ut fere idem astruat & destruat. Sequatur aliud mendacium.

Bombomachides passim *meum scriptum vocat famosum libellum, me famæ furem, quia ex occulto Walachrorum ministrorum famam impugnem.* Mendacium est! Mend. 29

Nec enim famam furatur aut lædit alicujus qui id exprobrat, cujus merito reus

est, ut mox ostendam: nec famose hoc facit; qui *aperte & in os*: quod me facere ex Grallatore facile erat illi videre. Etsi enim Bombomachides fateatur, se nescire quis sim, quia lateam, Grallator tamen Epist. pag. 1. & passim aperte dicit, se probe nosce quis sim, unde Epistolæ suæ dederit nomen *Grallopœus detectus*: ut hic jam sibi mutuo contradicentes habeam hos duos mendaces; si enim detectus sum & jam aperte notus quod Grallator garrit, tum mentitur Bombomachides, qui me dicit ignotum esse & famosum, quia ex latebris pugnem. Si contra latebris meis adhuc lateo, & ignotus sum Bombomachidi; tum mendax est Grallator, qui ita temere effutiit, me detectum & probe notum sibi esse, nisi linceos oculos habere credamus Grallatorem, qui probe norit & videat, quod Bombomachides ignorat nec videt: vel verus vespertilio sit Bombomachides, qui videre non possit, quod Grallator jactat se probe nosce & videre: partiantur nunc inter se duo illi Walachri, uter mentiatur; ego certe utrumque mentiri assero, & hunc, quia dicit me detectum & probe notum esse, qui ignotus sum, & illum qui me

famose

famose agere dicit, quia quæ vera sunt Walachris exprobro, ex occulto, & non detecto nomine; sic enim optumorum quisque, & hodie Severinus Simplicius famosi sunt, qui tecto nomine adversarios perstringunt.

Sed jam iterum mentiatur Grallator.

Clamat per totam epistolam, Authorem Grallarum sibi probe notum esse; & me esse quendam medicum Mittelburgensem Petrum Lansbergium; qui ex amore insanus, fraudum & scelerum compertus, ab ministerio detrusus, apostata factus sim, & Blasphemus, ab ecclesia ejectus, ac denique dignus qui diabolo tradar. Fascis iterum mendaciorum! Mend. 30

Nil dicam nunc de Lansbergii apologia. Id tantum dico, mirum esse ardelionem illum Walachrum; qui ex tam tenui filo, tot gravia crimina suspendit: ut ejus exemplo planum fiat, uno absurdo dato multa facile consequi: statuit pro vero somnium, *quod Grallarum authorem probe norit*; quam tenue & fragile sit hoc filũ, poterat ex ipso mimo suo Bombomachide discere: qui hic præceptore suo doctior est discipulus; ille expensis proculdubio omnibus indiciis Grallatoris, nullũ invenit quod scientificũ esset;

 ac

ac proin prudentior suo Prælato, suspicatur quidem; sed fatetur tamen, se ignorare authorem Grallarum: ut hic videamus, consuetam mentiendi proterviam illius ventriloqui; qui ratus, sibi cum specialis juris sanctitate vocatoria, contigisse mentiendi prærogativam authoritativam; ita audacter omnia effutit, ut maledicendi dictaturam solus possidere videatur.

Nunc iterum bombat Bombomachides.

Mend 31 Epist. 2. pag. 20. & passim clamitat me esse *calumniatorem*, qui pios ministros *criminer*, & conviciis proscindam; quod tam ægre fert, ut difficulter se contineat, quin clerum, plerum, & Magistratum in me concitet.

Fætidum & Bombomachide dignum mendacium! Quis calumniatorem dicat eum? qui crimina objiciat alteri quæ vera sunt? imprimis qui hoc faciat studio boni publici: etsi enim inhumanum sit, alienos defectus detegere, tamen ab crimine liber est, qui id facit juris sui conservandi, & vindicandæ Reipub. gratia. l. 18. ff. de injur. & famos. lib. unde non injustum fuit quod facetiis perstringerem Walachrum illum cum suis subsignanis: qui cum tot maledictorum congerie in Cl. Vedelium

nostrum,

nostrum, cultus, & religionis reformatæ integritatem pervertere nitebantur: cum publicæ rei manifesto detrimento, quod jam sæpe ostendi. Si enim ex jure *specialis sanctitatis* Magistratus pius non potest tangere formaliter Ecclesiastica negotia, nec *totaliter*, nec *partialiter*, ut defendit Walachrus Grallator: tum Ecclesiastici, prædicabunt quod volent; mandabunt quod lubet; punient quemvis pro arbitrio; & vocabunt tales quos sibi similes factione esse videbunt: quia enim hæc negotia sunt formaliter Ecclesiastica; nemini, ne quidem Principibus licebit hic Ecclesiasticis præscribere, vel frænum injicere; metuent enim ne cum Usia lepra percutiantur, ut garrit ille Walachrus novus Papista: inde necessario illis nascetur absolutum Dominium in *formaliter Ecclesiasticis* negotiis, & quia illa Ecclesiastica formalitas tam lata est, ut se extendat ad omnia etiam Politica negotia, hinc facile crescet audacia Ecclesiasticis; ut se per indirectum quoque immisceant omnibus mundi negotiis; unde ultimo existere necesse est, absolutum Dominium, in conscientias, bona, ac famam omnium Christianorum; quæ præviderat noster Vedelius, & monebat pios Princi-

pes : id enim in Papa, Joanne Becholtio, & aliis aperte visum diu erat : quia autem hanc ecclesiasticam tyrannidem, cæperat quoque exercere Mittelburgi, dictis factisque Grallator ; non sine felici successu : sentiens suis ceptis obstare nostri Vedelii Libellum ; hinc tanto maledicendi ardore centones suos in illum edidit, ut nemo non videat totam convitiandi næviam ab illo exhaustam esse : mors præveniens impedivit nostrum Professorem Vedelium, ne pro meritis contra vapularet ille maledictor. Unde jam fortuna dulci ebrius ; magis magisque suam Hierarchiam papisticam introducebat ; & vicisset credo pervicacia, nisi Vedelii nostri cineribus parentare, &, cultus reformati patrocinium suscipere visum fuisset : id in Grallis præstiti, acerbe fateor ; sed nec infacete, nec injuste, dum à veris, aut verisimillimis nusquam decederem : id mihi persuadens ratione : nunquam satis digne rideri, & sannis conspui posse illos, qui a reformatorum principum pietate, tutela & beneficentia, honorem, pacem & mercedem nanciscuntur ; eo vesaniæ Hierarchicæ devenire audeant, ut post depositas papalis tyrannidis exuvias, de reduvia Romana iterum

rum ſcribere & contendere audeant.

Sed jam iterum loquatur Grallator.

Apol. Epiſt. pa. 78. 82.83. quaſi in rem venire volens: de Eccleſia differens; dicit me ſub ambiguis terminis ludere, & hoc ſe facile probare poſſe; *veram eccleſiam etiam cum externo viſibilitatis modo, eſſe Sanctam, Sponſam & corpus Chriſti; pro cujus privilegiis Chriſtus ſanguinem fuderit, non haram porcorum, & impuriſſimam meretricem ut garrit blaſphæmus, Arllator inquit.* Mend.32

Multiplex & Grallatore inſano dignum mendacium!

Primo veterem mentiendi morem ſervat, quod me fingit, omnem eccleſiam viſibilem, cenſere *pro hara porcorum, & impuriſſima meretrice*, cui neutiquam conveniat hoc elogium *quod ſit.Sponſa, & corpus Chriſti.* Si legiſſet Grall.p.68.69. vidiſſet me, non de eccleſia viſibili agere qualis *Semper*, ſed ut addidi qualis *Sæpe* eſt, cum nimirum vitiis ſcatet; nec docui illa elogia eccleſiæ viſibili, *nullo modo*, convenire, *ſed non proprie*, immo certe cum vitiis ſcatet, valde improprie: tantum eſt ut hic aliquid *blaſphæme garriam* (uti loquitur Grallator Walachrus) ut locum annotarim ubi hoc ipſe in conſiderationibus, ad Anglos p.7. aperte de-

te defendit; immo hujus Epistol. p. 83 fatetur Ecclesiæ visibili *quoad externum visibilitatis modum*, hæc elogia non competere: unde ipse nescius concedit quod negat, videlicet; *nulli ecclesia visibili quà talis*, convenire proprie hæc elogia: nulla enim ecclesia visibilis est, nisi ob visibilitatis modum adjunctum: Si posset Grallator nobis ostendere ecclesiam aliquam visibilem, quæ constaret ex puris electis, haberet aliquam speciem ejus commentum: sed hanc credimus, non videmus. Unde etiam illa elogia nulli ecclesiæ visibili proprie dixi convenire: quod si verum est, quanto minus indignandum illi erat? quod aliquibus visibilibus Ecclesiis quæ vitiis & corruptelis scatent, hæc elogia non convenire dicerem, sed differre à Catholica Ecclesia; ut hara porcorum, & impura meretrix: non negabit credo ecclesiam Judaicam sub qua vixit Jesaias, & alii prophetæ, fuisse veram ecclesiam visibilem; habebat enim templum: & si illic tunc non fuisset vera ecclesia visibilis, nusquam fuisset: attamen ob vitia a Propheta Jesa. 1. & aliis locis, pro meretrice aperte censetur: si se intueatur Grallator, facile videbit hoc non raro accidere, ut aliquando impurus, & impostor

pasto-

pastorem agat in ecclesia; atque ita grassetur, ut ipse impurus sibi similes porcos & impuros ad sacra religionis Christianæ proculcanda invitet, quod ubi fit, quis dubitabit tale visibilis ecclesiæ complexum ob vitia esse haræ porcorum simile?

Alterum mendacium est: quod fingit, sibi papismum à me injuste imponi; à quo putat se multum distare, quia papistæ non proprie dicunt, *visibilem ecclesiam esse Sanctam & Spiritualem* (quod Reformati quoque dicunt) sed illis qui *secundum visibilitatis modum in ecclesia tantum sunt*, veræ ecclesiæ elogia competere, etsi reprobi, impii, & scelesti sint. Quod nos non dicimus, inquit. in quo apertè mentitur.

Bellarminus enim cum Jesuitis dicunt, impios, reprobos & magnos peccatores, non esse proprie membra ecclesiæ, sed pilos, ungues, & pravos humores, qui in corpore quidem sint, sed non de corpore, idque non constituant: sed gravent. in quo nobiscum sentiunt, quod illos impios ab ecclesiæ corpore discriminant. Ut hic falsum affingat Jesuitis.

Error Jesuitarum proprie in hoc consistit, quod cætum illum externum visibilem, regimine unitum, ex bonis & malis existen-

existentem, volunt haberi pro vera Christi ecclesia, domo, Sponsa, cui competant infallibilitatis & sanctitatis perpetua privilegia: cujus præpositi cum sint Clerici, concludunt illa magna privilegia sibi tanquam repræsentativæ ecclesiæ (utcunque malis & perversis) convenire. Unde Hierarchiam suam papistæ exstruunt & exornant.

Hoc quia de ecclesia visibili quoque conatur persuadere Grallator, dixi merito eum hic papissare; quod ecclesiæ visibilis dignitatem nimis extollit, dum grandia hęc elogia ei tribuat; quæ valde improprie conveniant. Quia enim ecclesia visibilis sic se habet sæpe, ut multos præpositos, & membra contineat qui porci potius sint quam Christi oves; sequitur hæc elogia, non propriè convenire ecclesiæ visibili, nisi velis uni & eidem mulieri proprie convenire, quod simul sit casta, pura, munda, & tamen quoque meretrix; quod ab ratione prorsus abhorret.

Tertium mendacium est, quod putat se non male dixisse de ecclesia externa visibili; quod pro externi ministerii privilegiis, & jure regiminis ejus, Christus sanguinem fuderit, ut nugatur pag. 81. Epistolæ suæ.

Tam

Tam impudens eſt hoc mendacium: ut in Grallis non immerito dixerim, *à Blaſphæmia non multùm abeſſe hanc loquutionem*: non modo enim apud Orthodoxos reformatos, ſed ne Pontificios quidem nuſquam (quod ſciam) reperitur: & revera abſurda eſt. Dicit ſcriptura Chriſtum fudiſſe ſanguinem, pro Eccleſia; ſed ſanguinem fudiſſe pro omnibus mediis quæ ordinavit & dedit, ad ædificationem corporis ſui, in multa duceret abſurda; ſic enim dici poſſet pro Juda ſanguinem fudiſſe, quem ad tempus prædicatorem dedit, & medium ad Eccleſiam ſuam ædificandam. Sic dedit aquam pro baptiſmate, panem & vinum, imo Calicem pro Cæna, Scripturam ſacram & alia multa, pro quibus ſanguinem fudiſſe, ſcripturis ſacris inauditum, immo contrarium, ſtultum & inſanum eſt. Sed nunc ſuccedat mimus Bombomachides.

Laren. Epiſt. 2. præfat. & pag. 6. *Dicit me profanum eſſe riſorem, qui totum miniſterium conculco; nullum in tota Zeelandia pro vero miniſtro agnoſco, omnes enim voco Walachro-papiſtas* inquit, *Zeelandi autem cum Walachris conſentiunt.* Mend. 33

Splendidum iterum mendacium! quis me miniſterium & cultum conculcare aſ-

ſerat

ferat cum ratione ? cum papisticis sordibus purgare nitor, romanam lepram & infecta hierarchica, in ministerium reformatum reduxerat Grallator, tam aperte, ut Antichristici ergastuli sordibus totus scateret: quem propter adsistens Bombomachides, improvide contraxit quoque illius impuritatis seminium; id quia removere nitor, stomachatur pueriliter ! infantium certe est ista morositas, quos dum matres, illa crinium illuvie purgant, non aliter vociferantur quam si vitæ vim faciant. Non tam miror quod hujus strigilis ictus sentiant duo Walachri, quam quod mentiuntur, omnibus Zeelandis immo reformatis, crinem a me pecti. nimis enim ridiculum est per Walachro-papistas, omnes Zeelandos intelligi, utcunque me fateor Zeelandiæ tractuum non valde gnarum esse;dicitur tamen uti ex variis insulis, ita quoque Classibus constare; quarum unam tantum ajunt Walachriam esse, sub qua omnes Zeelandos accipere, nimis amplum esset, nisi forte nova Hierarchiæ partitione, in Walachria, sit Cathedralis Zeelandiæ ecclesia, cujus Metropolitanus Grallator, & Vicarius, Bombomachides sint, quod nobis hactenus non innotuit, ac ne quidem credo aliæ

Classes

Classes Zeelandiæ sub Walachra se facile comprehendi velint; præsertim in hoc novo invento papistico, quod jam aliquotiens ostendi tam absonum esse, ut vel cum Grallatore furere, vel cum Bombomachide infantire debeant omnes Zeelandi & Reformati, si cum illis sentire velint. Sed jam Grallator mendax iterum prodeat.

Epist. pag. 48. & 86. Arillator inquit *totus fermento Anabaptistarum & Brounistarum incumbens, democraticum regimen quærit. Negat ecclesiam repræsentantem (quæ est pars Ecclesiæ visibilis regens) ecclesiam Christi esse, & nominari: aut ei peculiarem dignitatem, sanctitatem & potestatem præ cæteris membris competere. Junius hæc accurate determinat, quæ noster fanaticus de hac quæstione movet.* Mendaciorum iterum acervus! Mend. 34

Si legisset caput de ecclesia, & Gral. pag. 71. & 206. cum sequentibus, pepercisset mendaciis: ut certe in se ostendat, *quam necesse sit mendacem esse memorem.*

Primo videre poterat; me nec Democratiam nec Anabaptismum sapere; qui Magistratui primas in Ecclesiæ regimine dem, ut queritur! Anabaptistæ enim Magistratum *extra ecclesiam suam ponunt*, id Grallator quoque facit: dicit enim politicam potestatem

testatem non esse *in*, sed *circa* ecclesiam tantum; uti sæpe annotavi: ut certe hic Grallator Anabaptistis furore similis sit, à quibus ego absum, cum Magistratum pono in ecclesia, & hodierna ecclesiastica agentem sine ullo Sacrilegio.

Alterum delirium est, quod mentitur me rectores ecclesiæ nullos statuere, nec dignitatem tribuere præ communibus membris; id si verum esset, quomodo vocationem, & pastores ac mystas agnoscerem; quomodo duplici honore dignos dicerem qui in verbo laborant; hoc tantum dico, vocationem ecclesiæ & ordinationem illis non conferre Specialis juris Sanctitatem Leviticam, sed onus; adeo ut totam ministerii & ministrorum sanctitatem in donis atque in eo sitam esse velim; ut eloquia Dei fideliter & pure loquantur, & secundum ea sancte & modeste vivant; quam sanctitatem si unice affectent ministri, fient speciali modo sancti, omnes habebunt eos in pretio, eorumque monitis & consiliis libere ac libenter se subjicient. Hæc sanctitas Grallatori non placet, sed faciliorem ejus adipiscendæ viam quærit cum papistis; qua, utcunque ignorans & omnibus scientiæ virtutumque donis vacuus, fraus, helluo, impostor

impoſtor atque mendax ſit, pro ſpecialiter Sancto tamen haberi debeat. Et proinde cum papiſtis eccleſiam dividit, in regentem ſive repræſentantem partem, & rectam ſine repræſentatam. Utrique autem tribuunt nomen eccleſiæ, imprimis regenti parti, uti quoque facit Grallator. De hoc, quaſi probaturus, ampullatur, nil tamen profert quam ſuum ſomnium.

Ego contra ſtatuo, hanc phraſin in ſcripturis non reperiri; vox enim Eccleſiæ quidem dicitur, *de Eccleſia ſine rectoribus*, vel de eccleſiæ corpore cum rectoribus, Actor. 15. *Sed de rectoribus ſine corpore*; nuſquam in ſcripturis hactenus aperte inveni: cujus ratio veriſimilis mihi hæc eſt, quod rectores Eccleſiæ omnia negotia Eccleſiæ obierunt ſub Apoſtolis, non ſeorſim, ſed præſente toto corpore & omnibus membris Eccleſiæ, ſic ut neminem Chriſtianum expreſſa lege excluderent: hoc regimen ut nimis populare, nec ſatis authoritativum exploſit Papa, & finxit Eccleſiam, ex rectoribus ſine corpore, & Laicis, quam vocat conficta voce repręſentantem; quod ſumſit à politico regimine; quem imitatur Grallator. Quod ſi de nomine *repræſentantis Eccleſiæ* non multum laborem, in

re tamen nimis aperte papissat Grallator. Papa enim non contentus est, quod ex parte ecclesiam regens facit totam ecclesiam; sed illos regentes, sanctitate dignitateque spirituali ita extollit supra alios Christianos; ut expresse illi vocentur, Sancti, Spirituales, Ecclesiastici & Clerici; alii vero Sæculares, Mundani, Carnales, & Laïci: cum ipse Petrus 1. Pet. 5. nomen cleri, tribuat non rectoribus, sed toti gregi: quod tamen fastus docuit Papam solis rectoribus deferre, ut quasi Dei Sors, & populus Dei specialis omnem Christi populum dignitate anteirent.

Id quoque à Papa sumsit Grallator, qui ex prædicatoribus & rectoribus facit *speciali jure sanctos*, quibus *solis ex vocationis prærogativa*, possibile ac licitum sit, *formaliter ecclesiastica* obire, quæ aliis, maxime politicis, non liceat tangere sine Sacrilegio. Hanc fastuosam sanctitatem & præeminentiam, pastorum ecclesiæ; si non tribuo prædicatoribus, ut facit Grallator; dico tamen me non magis accedere ad anarchiam, quam accesserunt sancti Apostoli, qui magna donorum spiritualium copia præditi, ita rexerunt ecclesiam tamen, ut has *specialis juris ecclesiasticas & clericales sanctitates*,

ctitates, ignorarint: qui nullo ætatis, vocationis, dignitatis ac pæne ſexus diſcrimine, ad graviſſima eccleſiæ negotia omnes fideles admitterent; tam parum pertinaces ſui *ſpecialis juris*, ut quaſi modeſtiæ certamen edentes; re ſic poſtulante, regerent regerentur, præeſſent ſubeſſent, docerent diſcerent, mitterent mitterentur: hoc Apoſtolicum regimen, ab anarchia abſuit ſemper & tyrannide: id diſplicuit Papæ, qui proin, anarchiam vitare volens, in tyrannidem devenit: pari ſpiritu agitatus Grallator, confuſionem & contemptum miniſterii ſe vitare velle obtendens; in Walachria quoque tyrannidem cæperat exercere; ut jam ſpeciali jure eccleſiaſticæ ſanctitatis turgens, inciperet, prædicatoriam, Sacramentariam, vocatoriam, nomotheticam, judiciariam, & imprimis cenſurariam ſanctitatem, arbitrariam facere ac venalem; nullius jam, ne magnatum tergo parcens, quin omnibus, ex eccleſiaſtico ſuo tribunali, vim inferret, & injuriam.

Sed Bombat iterum Bombomachides.

Laren. Epiſt. 2. pag. 13. exclamat, *increpet te Dominus ô ſceleſtum os, inflammatum à Gehenna!* Mend. 35.

Quæ ſtix unquam acutius? attamen quid cauſæ? quod tam ſuperbe —— illa ſe jactat in aula Æolus —— ille? *quia ſcripſeram inquit prædicatores hodiernos obtentu legatariæ dignitatis, ſumere ſibi jus falſa prædicandi, & maledicta in pios Magiſtratus evomendi.* &c.

Quod non poteſt negari ſine mendacio.

Neſcio certe, unde illæc nova ſimulandi religio, nunc occuparit Bombomachidem, ut quod in ore eſt omni populo, is ſolus (peregrinus in Iſrael) ignoret: quoties dicendum eſt? Grallator Walachrus cum ſuis Mittelburgi clamavit ſe eſſe, Authoritativum Chriſti legatum, ſpeciali jure ſanctum: inde audaciam ſumſit maledicendi & imperandi Magiſtratui ſuo, & principibus fidelibus; dicit enim eos ratione Magiſtraturæ, eſſe tantum *accidens eccleſiæ ſeparabile*; *bioticos*, *carnales*, *naturales*, dicit eos eſſe *viliora* vel *viliſſima membra*, immo *nihil* in *Eccleſia*. vocat eos ex ſuis principiis; *tyrannos*, *Simoniacos*, *Papas* & *Antichriſtos politicos*, ſi architectonica qua pollent poteſtate *res Eccleſiaſticas audeant obire*. Applicat in eos teſtimonium Jacobi. 2. *quod de impiis divitibus loquitur*, & quos dicit *fuiſſe oppreſſores Chri-*

ſtiano-

ſtianorum , quibus in Eccleſia aſſurgere, & honorem exhibere, vetat : comparat eos Uſia Regi, quem lepra percuſſit Deus, ac Sacerdotes ex templo ejecerunt; denique cum ſuo Calderwood; aſſimilat illos *Servo doloſo*, à quo monet eccleſiaſticos tanquam *equos Trajani generoſos* ſibi caveant , neu tergo eum facile recipiant; ne tandem *equidem dorſo aut frænum ore nequeant depellere*; hæc & ſimilia in centonibus reperiri ſæpe annotavi; quibus omnibus ſubſcripſit Claſſis Walachra; & tanquam Legatus ab latere , primus Bombomachides : quam anile eſt hæc nunc ignorare? quæ ſi legataria poteſtate potuit ſcribere Grallator, & approbare Claſſis Walachra; quis jam niſi oculis captus, non videt? prædicatores eſſe , qui jure legationis Chriſti audeant convitia in pios principes evomere? quod Bombomachides tanto clamore negat.

Sed jam mentiatur iterum Grallator.

pag. 87. *Arillator* (inquit) *negat in cultu Levitico fuiſſe quædam moralia , & perpetui juris ac communia Novi Teſtamenti Miniſtris, imprimis; præciſam ſeparationem, eccleſiaſtici & politici muneris , & miniſtrorum quæ ſub Levitis fuit : quod Reformati* Mend.36

 omnes

omnes affirmant. Multiplex iterum mendacium!

Primo in hoc mentitur quod ſtatum quæſiti pervertit. Tam abfuit ut *nil perpetui*, in Levitico cultu fuiſſe aſſeram; ut potius, contra Grallatorem defenderim; uſum concentus Organi, & publicæ Pſalmodiæ, multaque alia, ab Judæis ad nos tranſiiſſe: quod cum ipſe in centonibus exploderet (ut judaïſmum refodere ob id magiſtratus ſuos clamaret) oſtendi contrà, multa ab Levitis mutuari poſſe, ſine nævo: ſic tamen ut aſſeram, non eſſe Walachri judicii, præciſe determinare; quatenus extendi poſſit illa Judaïſmi mutatio; ac ubi debeat terminari: unde evincebam temerarium eſſe Grallatorem, qui Judaïſmi perpetuitati illic infeſtus, tam ſuperbe Rhadamantizaret, Judaïſmum refodere, quotquot concentum organi, ad Pſalmodiam admittant. ut illic propugnarit aperte; quod hic in me oppugnat. Pari modo hallucinatur in defendenda diſtinctione inter munera eccleſiaſtica & politica ac miniſtros, quæ fuit inter Levitas; quæ nunc quoque vult perpetuari. Nuſquam certe in Grallis inveniet ab me defenſum; non poſſe aut debere inter ſe, *diſtincta eſſe hæc*

munia;

munia; quorum ſingula totum hominem requirant; quod ab Levitis nos mutuari, Judaizare, neutiquam eſt: & ab orthodoxis ubique defenditur: de hoc nulla quæſtio eſt.

Sed utrum munia cultus noſtri, *tanta præciſitate debeant eſſe ſeparata a politicis, ut olim Levitica templaria? quæ ſpeciali jure ſacra & formaliter eccleſiaſtica*, expreſſa lege divina, conveniebant ſolis Levitis; ſic ut ab aliis ſtirpibus, nullo prætextu, aut conniventia potuerint obiri, ſine mortis periculo. Hanc *præciſam ſeparationem* Orthodoxi non defendunt; ſed Papa excogitavit, & ab illo mutuatus eſt Grallator; quam oſtendi in Grallis eſſe puerilem & futilem: vel hoc ſolo argumento: quod omnia *hodierni Choragii negotia*, etiam ſub ipſo Levitarum præciſo cultu fuerint, non *ſpecialis* ſed *communis juris*. Ut hic iterum appareat mendaciis lectorem paſci ab Grallatore. Prodeat iterum Bombomachides.

Larenus Epiſt. 2. pag. 13. 14. dixeram in Grallis impoſtores eſſe & committere crimen læſæ majeſtatis, qui hodie ſe Chriſti legatos nuncupent: tam amplum eſſe Chriſtianitatis privilegium, ut ab hodiernorum ſacrorum adminiſtratione nemo qui Mend. 37

 donis

donis instructus sit, excludatur, nisi ob *ordinem & decorum*: ad quæ Bombomachides: *an non est hoc omnes fideles ministros per totum orbem, veros Christi legatos horribiliter infamare? quid audio? dic mihi inepte Magistratuum parasitaster! quia omnes sumus sub Christo Reges, an unicuique, si dona habeat, licebit involare in munus Regium!* sic tumultuatur Vlissingana Herodias! sed mentitur.

Si legisset Gral. pag. 37. quam citat: vidisset me non omnibus ministris convitium facere, sed Walachro-papistis; scripsi enim, gloriantur *Apolloniani*, se Christi legatos esse: unde apparet me non omnes totius orbis, sed solos Walachros & Apollonianos legatos perstrinxisse, qui Antichristi fastu turgidi se veros Christi legatos jactant, ut qui illos audiat Christum audiat; qui illos rejiciat, Christum rejiciat; quales hodie nulli sunt, quia defectus est in vocantibus & vocatorum donis. Qui enim vocant & mittunt, tenentur habere spiritum discretionis infallibilem. Qui vero mittuntur, cognitionem veritatis omni errore destitutam. Adeo ut perpaucos præter Bombomachidem & Walachro-papistas esse autumem, inter pios ministros, qui non fateantur, admodum improprie titulum

tulum Legati ſibi convenire.

Alterum mendacium eſt: Quod me fingit, Magiſtratuum Paraſitaſtrum eſſe; quia non aſſentiar Legatariis ejus ineptiis: quid enim magis ridiculum? quam Principibus perſuadere, quod negotia *Hodierni Choragii*, quæ vocant formaliter Eccleſiaſtica, tam ſpeciali jure ſanctitatis, conveniant, prædicatoribus, uti olim Levitis templaria ſacrificandi negotia, quibus ſi audeant manum immittere, & ſe immiſcere pii Magiſtratus; ſtatim morte, aut Uſiaca plaga ſint plectendi, aut Dathanis in morem, hiatu terræ abſorbendi: Cornelii Brugenſis gunomaſtigis illæ fabulæ ſunt, mendaces & futiles; is cum vellet mulierculas imbuere reverentia fictæ ſuæ diſciplinæ, ſolebat (ut aiunt) iis ex ſcripturis prælegere quidquid, de virgis & corporali pænitentia, alibi inveniretur, quæ fædo ſuo propoſito, ita aptabat, ut multas ſtolidas talibus artibus, ſuæ concupiſcentiæ manciparet: tales politicos invenit & fecit Papa: qui tanquam Hermaphroditæ, & (ut Joannes prædixit) veluti pecora ſe ſubjiciunt meretrici illi Romanæ; apud Reformatos, ſi idem quærat Grallator cum Bombomachide;

chide; injurium est, nec unquam si possim id committam ut inveniat vel faciat tales; neque hoc erit parasitari Principibus; sed sacram & Regiam viam ostendere, quæ in sanctis scripturis præscribitur; ex qua discant, sui officii esse, in omnia hodierni Choragii negotia inspicere, nullis abstinere, aliqua specialis juris aut sanctitatis reverentia: sed omnibus ecclesiasticorum negotiis præire, præesse, ac ita providere: ne (quod in Walachria tentatum est) sacrorum tractandorum ficto prætextu, sacra religionis conculcentur, & pii Politici in muliebrem servitutem ab ecclesiasticis deducantur.

Unum restat explodendum, in quo se venestum putat Bombomachides. Nimirum, quia in Grallis dixeram nos omnes nunc sub Christo esse Reges & Prophetas, ac inde politicis Christianis licere ecclesiastica negotia obire: quærit an quoque putem omnibus Christianis inde licere involare in Regia munia Principum? Si verum putat esse hunc logismum Bombomachides, errat & mentitur: quia nos omnes per Christum Reges quidem sumus, sed Spirituales, quibus expresse imperium interdixit Christus, quam differentiam si

Bom-

Bombomachides in ſcripturis non viderat, poterat eam ab Grallatore didiciſſe, qui aperte clamat in Centonibus, Spirituales Reges ſeu eccleſiaſticos non debere ſe immiſcere ſeculi & Regum negotiis. Sed jam loquatur iterum Grallator.

Epiſt. pag. 88. 89. quærit *an officia hodierni Choragii, ſub. V. T. fuerint communia & omnibus conceſſa? affirmat adverſarius noſter,* (inquit) *ab reformatis contra defenditur.* Mendacium eſt! Mend. 38

Primo quia ex antedictis conſtat & paſſim ex Grallis, hodierni Choragii functiones ſub Levitis ſpeciali jure ſanctas non fuiſſe.

Secundo, quia ipſe Grallator fatetur de Sacramentorum adminiſtratione **V. T.** Theologos variare.

Tertio, quia ex novo Teſtamento probari nequit, Sacramentorum adminiſtrationem ſolis Eccleſiæ paſtoribus demandatam eſſe. Quod aſſerit quidem Grallator, non probat.

Quod autem ait me mulieribus concedere baptizandi licentiam cum Papiſtis, ſolito more mentitur. Syphoram Sacrilegium commiſiſſe nego, cum filium circumcideret, neque id reformati aſſerunt.

Sed jam ultimo bombat Bombomachides.

Mend.39 Laren. Ep. 2. pag. 10. exclamat, *ô os blasphamum! quam turpiter & scurriliter luxuriat in consequentiis formandis? pudet repetere, homo vere Dei reverens ita irreverenter de sacris audebit loqui?* inquit.

Ita nunc in Walachria

Lamentis gemituque & fœmineo ululatu
Tecta fremunt. ——— qui sic?

quia fictis sanctitatibus Walachris stercora illeverim! miror ne hic ipso Spiritu Sancto prudentior iterum esse velit & modestior Bombomachides! is enim Malach. 2. 3. Sacerdotibus impuris minatur, *Sparsurus sum stercus in facies vestras. Stercus Sacrorum vestrorum.* Loquitur de sacris, quæ Deus ipse instituerat; cujus circumstantias corruperant; hæc corruptela coegit Malachiam, ut stercori ea compararet; an illi prophetæ quoque scurrilitatem imponet? ut alibi Paulo Blasphemiam? an in me scurrile erit quod talibus assimilem sanctitates fictas consequentiarias papisticas, quibus nec substantia, nec accidens sanctitatis veræ inest? dixi in Grallis omnem veram sanctitatem religiosam terminari Dei instituto; unde sequitur sanctitate religiosa carere, quidquid ab Dei institutione recedit; quan-

quantoque longius inde receditur; tanto magis à vera ſanctitate ad profanitatem abiri: unde fere accidit illis conſequentiariis ſanctitatum architectis, ut loco ſanctitatis prophanitatem, pro religione vera Superſtitionem & Sanctitatum ſordes, credulis & ſuperſtioſis obtrudant: turgebat certe Grallatori animus deſiderio fingendi ſacra ſpecialis juris per conſequentiarias dependentias; quem faſtum uti excuterem, nil conſultius erat quam ut ſtercus illud ſanctitatum ei in faciem conjicerem, & oſtenderem, quod conſequentiaria deductione ſanctitatum tandem deventurus eſſet, ut lutum, ſordes, & ſtercora pro ſanctis poſſet obtrudere: ſi enim hoc fondamento ſtetur: ob principalis rei à Deo inſtitutæ ſanctitatem, in ſanctitatis conſortium quoque venire, quidquid ad illam principalem rem ſequitur neceſſario; tum certe ſancta erunt non calcei prædicatoris modo, ſed lutum & ſtercora ſine quibus ob viarum ſpurcitiem, impoſſibile ſit, prædicatorem, ad prædicationem devenire: cujus ſpurci conſequentis obtutu, ſi ſaperet Vliſſinganus, potius debuiſſet indignari ſuo Grallatori, & ſcurrilitatem exprobrare; ut à fingendis conſequentiariis ſacris eum abſterre-

ſterreret : quod ego hoc abſurdo conſequentiario unice intendi , liberrimus ab omni ſcurrilitate. Papæ Romani hæc ars eſt, quam ab diabolo ſuo patre mutuatur; quod non contentus veris & a Deo conſtitutis ſacris, conſequentiario ductu homines ſuperſtitioſos cogit tandem ſtercoreas ſpurcities pro ſacris veris accipere; ſic quia Petrus fuit Sanctus, Papa quoque ejus ſucceſſor, quamvis ſpurciſſimus, habetur pro ſancto. Et quia Papa , etiam ſancta ſit ejus veſtis , domus , conclave , clavis & quidquid ad eum pertinet : ut ne quidem veneream luem ita redoleant unquam ejus pedes , quin pro magna ſanctitate conſequentiaria habeant, politici Androginæ & Reges, ſi eos cum reverentia oſculentur. Quam conſequentiariam ſanctifactionem, prævidens aliquando morio, cum cerneret regem ſuum pedes Papæ oſculantem; dicitur propere aufugiſſe , metuens , ne poſteriora Papæ oſculari cogeretur, ſuſpicans ea quoque ex conſequenti ſibi ſancta fore: ita fere ſuperſtitioſis illudit Satanas ut quotiens ſe à veris ſanctis abduci patiuntur, ad ſpurcorum venerationem eos deducat, ut in Papatu viſum eſt. Ubi non Monachorum modo ſtolæ, caputia, interulæ, fætida ſe-

da femoralia & quid non? pro ſanctis habentur; ſed eo protrahitur conſequentiaria ſanctitas, ut, vulgaria virgulta, aſinorum caudæ, furum canumque oſſa, vulcanorum clavi, & omne genus ſpurcities, pro ſanctis adorentur: cui malo remedium ponere volens, Walachro illi novarum ſanctitatum fabro non aptius occurrebat, quam ut ſpurcitiem ſtatim objicerem, in quam tandem conſequentiario progreſſu ſe ſuoſque eſſet deducturus. Sed jam ultimo quoque Grallator mentiatur.

Ep. pag. 90. *Negat noſter profanus* (inquit) *ullam ſanctitatem functionibus eccleſiaſticis ineſſe, merum eſſe figmentum aſſerit, & papiſticum fermentum, eccleſiæ negotiis, peculiarem quandam ſanctitatem tribuere.* Profano Grallatore dignum mendacium! **Mend.40**

Totis enim quæ citat capitibus de *Sanctitate* & *Spiritualitate*, ac tractatu ſingulorum Choragii membrorum, oſtendi in Grallis; ſanctitatem eſſe in veris religionis noſtræ negotiis, ratione *Authoris* & *finis*; ſed diſparem fere in ſingulis; præſertim ratione *modi* quo hodie tractantur: ita ut nec ipſis eccleſiæ negotiis, nec iis qui ea hodie tractant, ſit ulla *Specialis juris Sanctitas formalis*, & non tangenda ab aliis piis: qualis olim

olim erat in Levitis, & templariis negotiis, quæ præcisa lege Deus segregaverat: Hoc dixi esse papisticum commentum, eo fine excogitatum; ut hac speciali sanctitate, clerici, se redderent immunes ab imperio mundano, & politicos absterrerent à contactu suorum sacrorum: quod inventum videmus Papæ conciliasse imperium in ecclesiam & mundum: cujus desiderio tactus Grallator, in centonibus suis, hanc fictam sanctitatem late quoque protelaverat; sed in Grallis admonitus, coactus est, eam tanquam Penelopes telam retexere furenti similis, nil quam mendacia inveniens quibus sua commenta suffarcinaret.

Atque hactenus ad quadragenum numerum capitalium mendaciorum, excrevit mentiendi fæcunditas Walachra; in infinitum excretura ni finem hic ponerem: unde nunc desinam numerare, quia sufficienter ac satis jam detexi, utriusque Ajacis Vereani ac Vlissingani affinitatem cum mendaciorum architecto diabolo: non tamen pari propinquitate; sed per gradus: ut primogenitus Satanæ maneat, ac sit semper, Antichristus magnus Papa Romanus; cujus nothus vel filius naturalis sit Grallator; inter nepotes ultimo numeretur Bombomachides.

chides. Sed jam reſtat ut ineptias ac nugas Walachras ultimo proponam.

Cap. III.

De ineptiis Walachrorum.

NOn eſt Uniformis aut compar, ſed multiplex Walachrorum Theologorum inſcitia: ut tædioſum fuerit, ſub uno titulo Lectori omnia repręſentare: paſſim delirant, paſſim mentiuntur, paſſim ineptiunt; unum cum noris, omnia noris. Attamen ne moleſtum ſit, idem quaſi ſemper audire ad nauſeam; ſub diverſa ſpecie ac forma repræſentare ſingula viſum fuit; ut deterſo tædio, primo furores & deliria, dein falſitates & mendacia, ultimo nunc futilitates, & ineptiæ prodirent.

Quarum primam non immerito ſtatuam, quod hi duo bellatores mecum concurrere volentes, de re tanquam graviſſima, ridicule inter ſe deliberant, ut Thraſonicam ferociam oſtentare plebi volentes, metum ita prodant, ut non injuria illud Turni in loquacem Draucem, aptem utrique *Prima Ineptia.*

——— an tibi Mavors?
Ventoſa in lingua, pedibuſq; fugacibus illis,
Semper erit.

 Dede-

Dederat certe magnæ rei ſpem Bombomachides; venturum eſſe Grallatorem, qui argumentis ſolidis, quaſi gravis armaturæ dux, omnia proſterneret: tam confidens pollicitator, ut fateretur ſe diſputare nolle, ſed abrumpens ſuam epiſtolam, monet ſuum Archiſtrategum, ut maturaret ſuam reſponſionem: quaſi is Soſia pugnos jam ponderaret Grallarum Authorem exdoſſaturus: attamen quam fallimur! prodiit multo poſt ille Poliphæmus, nil quam convitiorum ſentinam exhauriens: tam inſanam, & falſam, ut totis capitibus vix dignè expreſſerim: de controverſiæ ſtatu, tam timide tam ſtrictim agentes uterque: ut licet, naſo, fronte, & auribus, acerrime à me perfricti; de fuga magis quam pugna circumſpectent. Non eſt quidem Thraſonicæ jactantiæ ubique inanis, dicit Ep. pag. 68. *accurate omnes anonymi objectiones difflare leviſſimum foret*; ad rem tamen veniens pag. 11. *Nobis cum hoc ſcurra non eſt diſputatione diſquirendum*; ait: cui venuſte accinit tanquam cuculus Bombomachides Ep. 2. in præfatione dicens, *prorſus tuæ reverentiæ aſſentio, non eſſe cum larva decertandum*, alibi quoque exclamans, *hei mihi quod cum hoc antagoniſta copulatus ſum!* quid igitur? Gral-

Grallator Ep. pag. 75. *petit à Bombomachide, ut dimißo Grallarum fabro, sibi liceat, cum Philadelphia, humili modestia, & pia quiete, de his quæstionibus agere*: lepide! ut nimirum Grallator, quasi pirricharius, artem Saltandi primo ostentet; dein vicissim Bombomachides, Ascoliasmum puerilem, uno pede saltitans, ludat: ac sibi mutuo dein applaudant ludiones. Ni malint tertium sibi advenire, qui tanquam brabeutes, præmiis utrumque ornet. Tam ridicula certe hæc fuerit Chyronomia: ut ipse Bombomachides, præfationis loco citato, *id consilium improbet: non enim arbitror id serio ita fieri posse* inquit. Serio? quin potius hæc legenti statim obversata est Thrasonis fabula: ubi is in Eunucho non aliter cum suo Gnathone deliberat, de expugnanda Thaide. Cujus belli finis tandem fuit, *jam dudum animus est in patinis*. Hic se videant Walachrus uterque bellator. & sic transeat nunc hæc prior facetia. Inep. 1.

Secunda ineptia est quod Epist. pag. 13 & 14. discrimen facturus inter politica & Ecclesiastica negotia, statuit, *potestatem politicam habere authorem, Deum regem gentium & omnipotentem creatorem cæli & terræ: Ecclesiasticam vero Christum regem & mediatorem.* Inep. 2.

torem. quæ futilis ineptia est! quæram enim an non credat verum esse, quod ex 1. Cor. 15. in Grallis annotaram? Christum post ascensum in cælos, ut Theantropon, obtinere dominium, in toto orbe, sic ut Pater depositum imperium illi uni tradiderit, quam diu mundus stabit. Unde sequitur fictum & futile esse discrimen, quod venatur inter Politicam & Ecclesiasticam potestatem quæ hodie est: quia ex hoc Apostolì loco concedere cogitur, utramque à Christo mediatore exaltato emanare, ac proinde authore non differre, quia hodie unus & idem Christus rex est ac dominus Politicæ & Ecclesiasticæ potestatis. Sequatur alia ineptia.

Inep. 3. Differunt hæ duæ potestates inquit. *Materia; quia politica potestas consistit Sceptro terreno, & imperio gladii: at Ecclesiastica, clavibus cæli.* Mera ineptia!

Futile certe est, tam calcatam in Grallis crambem iterum apponere: paucis jam repeto. Claves Apostolicæ quibuscum Christus Petro & Apostolis solemniter dedit veram & absolutam jurisdictionem ecclesiasticam, desierunt cum Apostolis. Unde constat futile & ineptum esse differentiam quęrere velle, per rem, quæ non sit amplius.

Fateor

Fateor in Catechesi prędicationem hodiernam & censuram,clavium nomine indigitari;sed impropriè ac æquivocè. Neq; quenquam reformatũ,cum Grallatore ita insanire arbitror, ut putet eam potestatē & jurisdictionem adhuc hodie ecclesiasticis superesse,quam Christus Petro & Apostolis dedit. Solus Antichristus Papa is est, qui hoc jure ita superbiit, ut ex clavibus Petri fecerit, sceptrum & coronam triplicem;quod Grallator quoque tentare cæpit,per suas claves: non vulgaribus modo Ecclesiæ membris, sed ipsi pio magistratui cum authoritate leges præscribere volens, etiam in politicis. Unde nunc statuo claves quidem in ecclesia remansisse, sed non tales quæ materialiter differant, à materia civilis imperii. Quia politicus Magistratus,præsertim si pius sit, ad coercenda mala, non tantum utitur gladio, virgis,& flagellis, sed sæpe etiam verbis:non comminatoriis tantum, sed blandis quoque; atque ea ratione à vitiis ad virtutes abducit delinquentes.

Ep. p. 15. *Differunt forma inquit. Civilis potestas est Architectonica, & despotica, sub Deo; Ecclesiastica vero Diaconica sub Christo.* Inep. 4. Futilis ineptia!

Constat enim ex loco Pauli 1 Cor. 15. utramque potestatem Christo exaltato im-

mediate subjacere. Deinde evidens est, Architectonicam potestatem forma quidem distare à ministeriali aut suasoria, cum architectonice exercetur; tamen non ita differre, quin is quoque qui potestatem Architectonicam possidet, quædam suasorie præcipere ac agere possit & sine imperio: quia Architectonica Suasoriam non excludit, sed includit, ut superior inferiorem.

Inep. 5. *Differunt fine* inquit, *finis supremus civilis potestatis est gloria Dei omnium gentium regis; Ecclesiasticæ potestatis finis proximus & immediatus est, gloria Christi mediatoris exaltati &c. remotus Gloria Dei est.* Mera iterum futilitas!

Cum enim politica potestas Christo exaltato immediate subordinata sit; Sequitur politicam non aliter quam Ecclesiasticam Christi Gloriam intendere debere.

Inep. 6. Ep. pag. 18. *Differunt effectis* inquit: *quia politicæ potestatis effecta sunt leges, statuta & pœnæ civiles; at Ecclesiasticæ potestatis sunt, prædicatio verbi, administratio Sacramentorum, determinatio controversiarum fidei: Canones ordinis, electio & depositio ministrorum ac censura.* Mera futilitas!

Quid enim ineptius esse potest? quam eundem coccismum ita resonare, qui Grallis

satis

ſatis eſt exploſus; oſtendi enim in Grallis atque hic iterum, hodierni cultus externa negotia, non eſſe ſpeciali jure ſancta, & proinde à Magiſtratibus piis, qui ſcientiæ donis inſtructi ſint, obiri poſſe ſine Sacrilegio; idque Synodorum decretis ac ſtatutis ratum eſſe in noſtro Belgio.

Differunt objectis inquit. *Civilis imperii objecta ſunt τὰ βιωτικὰ res hujus vitæ; Eccleſiaſticæ juriſdictionis objecta ſunt illa quæ ad Deum pertinent &c.* Mera quoque ineptia ac jam ſæpius refutata. Circumciſio enim non erat res hujus vitæ, ſed ſacra & religioſa; hanc tamen non Levitis, ſed Joſuæ commiſit Deus. Prædicatores mittere cum libro legis ad prædicandum non erat negotium civile, ſed Sacrum; Pius tamen Joſaphat prædicatores miſit cum libro legis ut prædicarent. Inep. 7.

Differunt Correlatis inquit: *Magiſtratus civilis correlatum eſt, ſubjectus populus una in republica.* &c. *Eccleſiaſticæ poteſtatis correlatum eſt, populus unam in Eccleſiam Sacra ſocietate, & Spirituali communione adunatus.* &c. futilis ineptia! Inep. 8.

Eſt enim Magiſtratus correlatum Reſpublica, & Eccleſia in republica, quam ut Magiſtratus in Republica habeant, curare

tenentur, tum per se, tum per Ecclesiasticos.

Inep. 9. *Ultimum discrimen ponit in adjunctis variis harum potestatum, quæ utrisque non possint esse communia. Unde putat Specialem diversitatem oriri*; sed meras ineptias fundit.

Scribit pag. 21. *Jurisdictionem civilem aliquando uni convenire, sed Ecclesiasticam non uni sed unitati tributam esse*; mera futilitas! quis enim ignorat Christo in terris superstite jurisdictionem penes unum fuisse; & Joannem Apostolum in Ecclesia summam potestatem habuisse, quando is tandem omnibus Apostolis supervixit: immo si hodie talis adhuc superesset, primatum merito in ecclesia obtineret. Ut certe stolidus sit Grallator, qui summam unius jurisdictionem, tam procul ab ecclesia amandatam cupiat. Utcunque enim jurisdictio Ecclesiæ penes totam ecclesiam sit, Actor. 15. potest tamen præcipuus ejus vigor apud paucos vel unum residere. 1. Cor. 5. 3. 4.

Nec minus futile est quod ait, *delicta quæ ecclesia punit, non puniri nisi post admonitiones & in casu contumaciæ vel impænitentiæ, atque in hoc, modum puniendi ecclesiasticum differre à politico*; Meræ nugæ! quia certum

certum est Ecclesiasticos censores pœnitentes non raro punire; si quis enim Ebrietate, Scortatione, adulterio vel alio gravi delicto peccet, etiamsi pæniteat, censura tamen & pæna Ecclesiæ affligitur: atque hic suam praxin videat Grallator, & imprimis Theodosium Cæsarem! an non is pænitebat? cum lachrimis suum factum defleret? attamen cum inter Clericos post pænitentiam sedere vellet (ut gloriatur Bellarminus) Ambrosius jussit eum stare, & non desiit eum vexare; quam extorto primum hoc decreto; quod Cæsaris Judicia, post id tempus, irrita essent ante trigesimum diem post sententiam ab illo latam: hoc scilicet erat pænitentem non punire! Jam si pænitentes tam acerbe tractantur, annon mentitur Grallator? sed dicat ecclesiam non punire nisi impænitentes & contumaces? quis stuporem illius nugonis hic non miretur?

Secundo Politici pænitentes non semper puniunt; sed lenius crimen aliquando condonant spe correctionis.

Atque hæ quidem sunt astrales differentiæ quas ponit Grallator, inter ecclesiasticam & politicam potestatem; ad quarum serium

ſerium examen me invitat, ſcilicet pag. 22. Epiſtolæ ſuæ, non minus ineptè; quam ſi flagitet, ut in ſterquilinio Ieſuitico (ex quo fere omnia depromſit) aurum vel ſtaꝺen quæram: ſi hoc tam facile perſuaſit Suis Walachris, & imprimis Bombomachidi, ſciat in Friſia aliter Catulos quam Sues olfacere. Nunquam tam authoritativè apud nos de his garriet, qûin, ut nugas ac ineptias exſibilemus.

Inep. 10. Id utrique Walachro vernaculum eſt, ut in convitia mirificè luxurient; cujus rei indignitatem carpẽs, in Bombomachia, Bombomachidi objeceram ante oculos congeſtum convitiorum, quæ in me effutierat in prima Epiſtola; ut ſperarem malum illum morem in illis corrigi poſſe; dederat ſpem in prima Epiſtola Larenus; admonens ſuum Archomyſten, ut ab convitiis abſtineret: tam quoque compoſitus ad gravitatem orditur Grallator ſuam Epiſtolam, ut pag. 6. & 7. dicat ab ſua conditione alienum eſſe, *convitia convitiis retaliare*, Ethnicorum & Chriſti, (abſit Blaſphemia) exemplum adferens, qui convitiis affectus, non viciſſim convitiabatur, inquit. Et tamen, qua eſt impudentia, non modo Calumniarum & & falſarum blaſphæmiarum, in me, portenta

tenta passim effutiit, sed sola pagina quinta; componens ad cantum maledici Organi sui tibias, pleno ore in me effundit: *Orbi exhibuit hic mendax, teterrimum monstrum* (inquit) *ex inscitia, arrogantia, vanitate, virulentia, impudentia, mendacio, & maledicendi studio conflatum.* Et vix recollecto gutture, *tantum stultitiæ, tantum arrogantiæ, tantum fuci, tantum stoliditatis, tantum nequitiæ scurrilis, tantumque impiæ malitiæ* mihi in os objicit; ut vel mentem illi excidisse credendum sit, qui quid convitiari sit ignoret; vel Christi Sacrorumque reverentiam deesse, cujus præcepto exemploque tam aperte contrarietur: quasi ad alios terrendos quidem valeant sacræ leges & piorum exempla, ad mystas nil pertineant, nisi quatenus illis integrum sit ad ostentationem abuti. Quod in duobus illi Walachris aperte videre est: ut hic quasi grande scelus, *maledicentiam* in me vituperent; in seipsis vero vel non videant, vel ut virtutem laudent: ut vel apertis verbis Grallator dicat Ep. pag. 8. *Sæviit in discipulos Christus, sed pietati datur quod sæviit* (quantum abest obsecro hæc phrasis à blasphæmia) *sic pietas non ingenium me vehementem facit: si quid fuero stomachatus, non admodum me pænitebit* inquit:

inquit: an aliquid Sancti sacrique esse credimus, illi Mystæ, qui apertissimorum mendaciorum, & convitiorum farraginem scurrilem, insane eructans; se maledicere negat, immo venerando Christi exemplo, suum scelus ornat, ut se non aliter sævire dicat quam *Christus ipse sæviit?* cui non Christi, pietatisque reverentiam excutiant, tales ventriloqui? Id viderat Bombomachides, qui in præfatione Epist. 2. proin hanc infamiam conatur diluere. *præsagit mihi animus* inquit, *quod quidam existimaturi sunt, utrumque nostrum, nimis acerbe in hunc Anonymum invectos esse, & convitia convitiis retaliasse*: Beta certe sit qui id non sapiat! attamen quid ille? *si quid paulo durius dictum sit* inquit *verbum, nobis humanitus excidit: non sunt convitia, ingens hic discrimen!* Sed quid? *reprehensiones, redargutiones, ad correctionem directa*, ait: *tanto abest, ut hic modum excesserint, ut potius culpandi sint, lenitatis & lentitudinis quod non acrius sævierint*: ac ut videatur parem esse utrique Theologiam: addit, *nisi sic statuamus, quomodo Theopneustos ab hoc crimine poterimus vindicare?* διαβολὴ! ac mera blasphæmia est quam illi curiones effutiũt, tam spurca; ut ipsi gentiles indigne tulerint, si quis ab diis peccandi licentiam sume-

ſumeret; aut moribus ſibi pares Deos facerent. Ita in Amphitruone nugabatur Soſia:

Credo equidem ſolem dormire, atque appotum probe. non ferebat hoc Mercurius perſonatus Soſia, ſed eum increpat *ain verbero? Deos eſſe tui ſimiles putas?* non modeſtius Walachrus ille uterque ab Chriſto & Theopneuſtis, ſuæ maledicentiæ patrocinium quærunt; corripuerunt illi acriter, fateor, peccantes; ſed ſic ut quos & quomodo perſtringerent, nunquam aberrarent: uterque ille myſtagogus, indigno modo maledicunt, & indignis: quis Theopneuſtus obſecro docuit Grallatorem illa Spiritualia verba? *Scurra, Spurcus nebulo, rabidus rabula, ſceleſtus*; & ſimilia: quem bombendo imitatur Bombomachides (uti in Bombomachia adnotaram p. 29) paſſim colocizans; *convitiorum hamaxarium: lingulacam, Arillatorem, ſcurram, ſordidulam nitedulam*, & quod nunc — *medios intercinit actus*: ô os ſceleſtum! inflammatum à Gehenna! ô os Blaſphęmum! & innumera talia: quorum phraſiologiam ex Judæorum, gentium & maledicorum Jeſuitarum ſcriptis eos converriſſe evidens eſt; ut frontem nimis perfricuiſſe pateat illos Archimandritas, qui tam turpium eloquiorum, patro-

patronos ſibi ſumunt Chriſtum & Theopneuſtos, quos conſtàt ab omni turpiloquio longiſſime abfuiſſe. Quibus id quoque peculiare fuit, quod non niſi notos & merentes carperent: uterque Walachrus, maledicunt ignoto, & immerenti. Vliſſinganus fatetur, ſe ignorare authorem, cui tamen tacitè maledicit: Vereanus gloriatur ſe probe noſce, ſed delirat: quiſquis ſit; cordati vident, & ipſi credo Walachri ſentiunt, (quidquid diſſimulent) nimis verà & utilia eccleſiæ me dixiſſe: & tamen ſi Walachrum utrumque hunc audias; non maledicunt, ſed Chriſtum & Theopneuſtos imitantur, dum profaniſſimæ maledicentiæ ſentinam exhauriunt: quis non ſuſpicetur, talibus vel mentem deeſſe, vel ſacrorum reverentiam? quis non videt magni Antichriſti Papæ Spiritum ſpirare illos Papulas? is peccando non peccare creditur; quia eccleſiæ caput eſt & peccatorum diſpenſator: unde ſibi jam liberaliter diſpenſat, ut mentiatur, pejeret, furetur, ſcortetur & nequam ſit per omnes caſus, tamen ob Cathedram ſemper maneat Sanctus: à quo quantillum abſunt illi Walachri? qui licet maledicorum vere columen ſint, maledicos ſe cenſeri nolunt, ob ſuggeſtum,

ſtum, an pallium authoritativum? obſcæna certe hæc eſt ineptia! Sed ſequatur alia.

Larenus Ep. 2. pag. 56 & 58. *pernego me illi vel minimum convitium feciſſe: an huic homini licebit, horrendis modis ſancta Chriſti inſtituta blaſphemare, miniſtris conviciari, honeſtiſſimorum virorum famam lædere, & nobis non licebit eum famæ furem appellare? cui accinit Grallator.* Ep. pag. 8. *ſi alicubi videor ſtomachantior, expendere decet unde ſtomachus ille oriatur &c. ſævijt in diſcipulos Chriſtus & pietati datur quod ſævijt.* Mera ineptia! perſuaſerant ante, Chriſti exemplo non eſſe maledicendum, etiam ad maledicta: de quo tam ſubmiſſe balavit Grallator Epiſt. pag. antecedente; ut credas ἀκέραιον, & columba ſimpliciorem eſſe: ſed deinceps aliam viam incedunt, & ex Walachra Theologia hoc ſtatuunt; ſibi licere remaledicere; quia ego maledixerim prior: fateor humana lege hoc licere! Sed nemo non videt eos jam Chriſti divinam moderationis legem & exemplum tranſſilire, de quo tam pueriliter inter ſe glocierant: ac ne quidem humanam talionis legem accurate ſervat Bombomachides; quod ita indignetur aures ſibi & Grallatori perfrictas, quia id noſce poterat, quidquid in Inep. 11.

Gral-

Grallis, male audierit ejus Archimystes; *Responsum non maledictum fuisse, quia læserat prior.* (ut habet Comicus) is enim ab Cl. nostro Vedelio ne verbulo læsus, ac ne per somnium illi cognitus; maledicentiæ specimen primus in illum edidit; cujus honori posthumo indignissime læso, cum patrocinari vellem; quid justius erat? quam ut a me paria auferret Grallator: quod Spinosum negotium quia anili incogitantia, arripuit Bombomachides, cur nunc ejulat, si pro meritis quoque vapularit? quanquam in hoc quoque humanitus delirat, quod putat se pro maledico haberi non debere, quidquid obscæni effutiat: modo id constet, sibi primo maledictum esse: lanificarum & cetariarum est ista Theologia; quæ quotiens verbo feriantur, in dicteria statim ardescunt, nulla justi verique indagine: quod sequentes ineptiæ planum facient.

Inep. 12. Laren. pag. 9. & passim Grallator: putant sibi injuriam fieri, quod dicam eos novam religionem, & *Papatum Hierarchicum* introducere voluisse in Walachria: de quibus Mendacio 6. & alibi latè egi; hoc loco disputatorem agit, & me inepto dilemmate urget Bombomachides.

Quin

Quin tandem clare enuncia (inquit:) *Si falsam dicis nostram religionem, cur te reformatum simulas? si non, cur nostram religionem infamas?* at at! hoc est edossuare homines! vis clare enunciem? utcunque animo collibitum est; & veram & falsam, nec veram nec falsam. Mirum certe quid Jesaias responsurus fuisset huic Sophistæ! qui cap. 1. & passim clamat, *populus meus me dereliquit, à Capite ad calcem nil sani habet, argentum vestrum scoria factum, & pulchra civitas meretrix facta est*: quod ille non dicebat de una insula Walachra, sed toto Israele, & Dei populo. An non merito dixerint Judæi? vel vera ecclesia sumus, cur ergo nos ita accusas? vel falsa; cur ergo nobiscum manes? talia sunt Jesuitarum lemmata, ut alibi videre est in Bellarmino; Si Papa est Antichristus, tum sedet in ecclesia, & vos debetis sub illo manere, aut estis extra ecclesiam. Si papa non est in Ecclesia (inquit) cur ergo clamatis illum esse Antichristum? futiles ineptiæ! quas alibi ut spero excutiam: nunc Vlissinganui Calanticam aptabo, ne in lævam inclinet. Dico in Belgio nostro confæderato, Zeelandia, ac ut spero in Walachria, veram religionem esse, & ab Illust[r]. Ordin. ac piis incolis defendi:

M sed

ſed hoc quoque aperte dico,& ſæpe oſtendi; Grallatorem illic primo, ex Jeſuitis inprovide Lectis, ſomniaſſe; *Specialis Juris Sanctitatem Eccleſiaſticam*: ac inde tale voluiſſe excudere regimen Eccleſiæ; ex quo merus tandem papiſmus neceſſario oriretur: quem jam Mittelburgi cæperat introducere; ſic ut cænæ uſum, vocationes, cenſuras, nomotheticam, & cætera eccleſiaſtica formalia (ut loquitur) prorſus ab ſuo commodo & affectu ſuſpenderet: tam ferox, ut tanquam Radamanthus, Ordin. Illuſtrib. Zeelandiæ, Magiſtratui Mittelburgenſi, & omnibus piis, illic temere inſultaret & illuderet, fictæ ſuæ ſanctitatis jure. Hoc dico falſum eſſe in Religione Walachra & Papiſticum fermentum; & niſi ego, Clariſſimi Vedelii noſtri vicem ſupplens, perſtrinxiſſem Grallatorem, tota religio paulatim abiiſſet in papiſmum. unde jam videt credo Vliſſinganus, in paleam diffluere cornutum ſuum argumentum, nec quicquam male dicere Grallatori & Walachris, quotquot cum eo in hoc ſentiunt; quia verum dixi, & in Eccleſiæ ac reipublicæ commodum. An miratur me invectum eſſe in talem paſtorem, qui jam cæperat aconitum, napellum, & ranun-

culo

clos Sardoos ſuis ovibus objicere, quorum eſu, neſcii & cum riſu ſardonio interiiſſent? & quia tam imperita Medea erat vel botanica illa Vliſſinganus, & aliquot Walachri cum illo, ideone famæ furem me clamat merito, qui Walachris Zeelandis, omnibuſque reformatis hoc venenum oſtendi? ineptiſſima hæc ineptia eſt.

Sed excipit Ep. 2. pag. 11. *Papatum ex horrenda idololatria & mortiferis ſuperſtitionibus infinitis conflatum eſſe, ut Chriſtum abneget; qui hoc molitur* (inquit) *is Papatum introducit, religionem tollit. hoc Apollonius & Walachri non faciunt &c. diſtant à papatu Hierarchico quantum cœlum ab inferno.* Anilis iterum fabula! Inep. 13.

Miror certe jam ob ætatem non meminiſſe Vliſſinganum nutricationis; & quantum interſit inter infantem primo natum & adultum virum. Nolim hoc credat de me quod neſciam quantum diſtet inter Baſiliſcum jam adultum, & qui adhuc intra teſtam hæreat; vel inter lupum, quem primo enixa eſt lupa, ab eo qui jam ſeneſcit. Miſellum eſt illud animal, quod vel uno pede necarit ovis; vel intra teſtam puer ſuffocarit. utcunque diſtet ab adulta fera iſte puſillus embryo, quis tam rerum neſcius

qui tamen non prævideat; ex tali coagulo proditurum tale monſtrum, niſi caveatur. Jam hic excutiat veternum Vliſſinganus, & videat quam ineptè mentiatur. Fingit Papatum non eſſe niſi qui plenus ſit, quaſi homo non ſit, niſi qui quadratus vir ſit. Egone hoc uſquam ſcripſi, papatum Walachrum, eſſe plenum & perfectum papatum? at ego ubique ſcripſi eſſe puſillum, puſionem, & pimulum papam Walachrum: qui tanquam puer jam cæperat delectari hierarchicis crepundiis papalibus; nec tamen hoc inficior, ſi tales nutrices aliquot nactus eſſet, qualem ſe præbet Bombomachides; qui nutricando papatui illi operam ita ignoranter contuliſſent; magnam ſpem vel periculnm fuiſſe, ne tandem excreviſſet in papam aliquem novum inter Walachros. non enim nunc contentus erat crepundiis ſuis eccleſiaſticis, ſed jam cæperat Illuſt. Ord. Zelandiæ contemnere & Magiſtratui ſuo Mittelburgenſi præſcribere, quid vel in politicis vellet ab illis fieri: cottidie de ſuo jure cum illis contendens & quaſi bellum gerens: & quia ſentiebat *pecuniam eſſe nervum belli*, novum illud dogma protulerat, de pecuniaria eleemoſynari ſanctitate; qua Marſupiale Iudæ privilegium tam

pene

pene sibi vendicarat, ut non aliter, quam vocatione, jam pecuniaria illa sanctitate illic inciperet gaudere. Ut non mirer, quod ita indignetur Vlissinganus, & in me salivet, quem videt, totam nutricationis testaceam & pultaceam officinam, editis Grallis, quasi baculo discussisse. Attamen velim specillo posthac melins utatur, ut videat inter lentem & pediculum multum interesse; & tamen ex illo hunc certo, ni caveatur, proditurum. Sed alia prodeat ineptia.

Bombomachid. Ep. 2. pag. 10. multum stomachatur, *quod censuram majorem & minorem vocem secundinas Romanæ meretricis, & exclamat, ô os blasphemum! censura utraque est sanctum Christi & salutare institutum.* Ine p. 14

Nil certe opus erat ita tumultuari: nisi enim moniali Calyptra prępeditus cęcutiisset, facile in Grallis p. 140. 150. 168. 169. vidisset, me censuram non exterminasse ab ecclesia: non enim disputatum fuit in Grallis, utrum disciplina aliqua esse debeat in ecclesia: ne quidem, an ille censurandi modus, qui in ecclesiis nostris receptus est, debeat retineri? sed utrum à Deo sit institutus. Ego cum multis reformatis piis & Orthodoxis, scripsi humanum esse, quia non extat in scripturis, lege vel exemplo. Amplius dixi,

& nunc Vlissingano in os dicam sine Blasphemia; nil quam Romanæ matris secundinas esse Grallatoris censuram, quam adeo Specialis juris & sanctam esse statuit, ut si illi hanc cum suis Walachris liberam nolint relinquere politici, sed contra tangere audeant vel tentent, Sacrilegi sint futuri. Ostendi enim in Grallis, hoc papisticum figmentum in Ecclesia Romana Antichristum Papam peperisse, & dein Majestatis politicæ mancipatum: quem Grallatorem in Zeelandia quoque tentasse in Grallis edidi. Sed prodeat alia ineptia.

Inep. 15. Bombomachides pag. 20. 21. Multum stomachatur, *me disciplinam tollere, quia non facio eam generalem, à qua nemo exemptus sit, ne principes; quo citat longe exemplum Theodosii, additque me ex illorum numero esse, de quibus dicitur Psal. 2. qui regimen Ecclesiæ & vincula velim rumpere; quærit etiam, an non putem illud, dic Ecclesiæ, pertingere ad Regale fastigium? an Deus sit personarum acceptor? & similia quæ ex anili fuso salivando effudit incassum.*

Nil certe opus erat tam inepte calanticam concutere; si Grallas legisset, facile inde videre illi erat, me ubique verbi divini & legum illic latarum tantam facere dignitatem,

nitatem, ut omnes illi subjectos esse velim: & nemini concedendum sit, ne Papis quidem, jus de illis dispensandi: sunt enim leges Christi Jesu, summi & Unici nunc & generalis Monarchæ. Unde mirari satis nequeo, quod ex me quærat tam audacter, an Deum putem esse προσωπολήπτην, quia velim principes à disciplina Ecclesiæ eximere? Quam mendax sit in hoc ista vetula mox ostendam; nunc tantum vicissim quæram, an non putent Walachri Ecclesiastæ Apolloniani, Deum esse prosopolepten, quod se ita facile Dei legibus eximant, cum constet iis maxime teneri? Christus enim in suo verbo rigide vetat sua statuta contemerari. At mandatum Dei & Christi esse dicunt, ne quis insigni peccato publice pollutus utatur Cænæ pane. At Grallarum pag. 429. indicavi, ipsos Ecclesiæ ministros Apollonianos, instar asinorum, ita se mutuo scabere, ut vix aliquis tam impurus, pollutus, & improbatus sit, quin facile Ecclesiastica dispensatione aptus fiat, ad omnia sacra sumenda & dispensanda. Annon hinc nodus & quæstio oritur, utrum tales Mystæ vincula Christi rumpant, & ejus mandata contemnant? vel annon magnus personarum exceptor sit Christus,

 quod

quod sua sacra a Principibus contemerari nolit, quin virgæ & censuræ ecclesiasticæ se debeant subjicere; ac tam indulgens & negligens sit suorum sacrorum, ut ipsis ecclesiasticis concedat, quotiens libitum sit, & res ita ferat, ut non aliter quam pueriles nugas transiliant, conculcent, & contemerent sacrosancta Christi instituta? res enim nunc, edita Lansbergii Apologia, manifesta est, nec occultari potest ulterius ab illis Walachris. Ego certe hunc nodum hactenus non potui solvere, nisi cogitem Apollonianum illud pallium ex tali panno constare, quod potestatem habeat illudendi non hominibus modo sed ipsi Christo. Sed hæc expendenda relinquam Vlissinganui, dum spiritualitatis filum salivando perget longius deducere. Ad politicos nunc venio, & censurariam disciplinam, quam Bombomachides me scribit rejicere.

Scribit pag. 28. in Catechesi nostra *statutam esse majorem & minorem censuram, & nominatim, ab cænæ usu arcendos esse quotquot scandalum præbeant, donec resipuerint & emendationem profiteantur: quod cum eversum eam (inquit) sequitur me non unam Ecclesiam Mittelburgensem, sed omnes reformatas ecclesias tyrannidis accusare; & eorum hostem esse.*

Hæc

Hæc mera ſalſugo eſt, quam uterque Neptunia proles certatim exſpumant; Sed ſi rugoſam frontem exporrexiſſet illa Vliſſinganus peperiſſet tot fætidis bombis, quos hic explodit.

Primo, quod audacter aſſeveret me omnibus reformatis eccleſiis bellum indicere, quia negem, cenſuram minorem eſſe divinum inſtitutum. Si enim reformatorum hoſtes ſunt, qui illam non admittunt nec pro divino inſtituto habent; tum non Eraſtus aliquis ſolus, ſed Bucerus, Bullingerus, Zwinglius, Muſculus, Simlerus, Gualterus, & Clariſſimi quique Helveticarum Eccleſiarum reformatores ac Doctores, pro reformationis hoſtibus ſunt habendi. Id enim patet ex illorum ſcriptis & litteris quas citavi Gral. p. 171. &c. illum cenſurandi modum potius improbatum quam receptum ab illis eſſe: ut certe impudens ineptia ſit, quod Vliſſinganus, mihi convitium facere volens, & locum inter reformatos denegans, ex reformatorum albo delere cogatur tot inſignes reformatores; quorum laboribus & ſtudiis id poſſidet, ut ipſe nunc inter myſtas reformatos numerus ſit.

Fateor à Palatinis ſumſiſſe Illuſt. Ordin. confęderatos inſtitutum majoris minoriſq; cenſuræ; ſed nõ eo fine, ac modo, ut Romanę

mere

meretricis profluvia in hoc resorberent; quæ certe bello armisque hactenus detestati sunt: sumpserunt enim ut res adiaphoras, sicut Helveticis aliisque ecclesiis nec odium nec bellum indixerint, qui hoc censurandi more non uterentur: neq; existimarunt, hoc disciplinæ & censurandi institutum, esse sacrosanctum *& divini juris*, sed *arbitrarium*, sic ut non ignorent, sibi potestatem esse, id vel partialiter, vel in torum immutandi; si nequitiæ & confusiones ecclesiasticorum (quales sunt Walachræ) cogant illum Ordinem rejicere, vel ita invertere, ut fallendi & malefaciendi ausa præcidatur Apollonio, & similibus ministris: uti in majori censura, vocatione, & aliis ecclesiæ negotiis quæque provinciarum ac urbium, sua excepta peculiaria servant.

Grallator contra ac Bombomachides; hoc censurario sceptro, gladio, ac virga ita exultant; ut mihi omnibusque Helveticis ecclesiis putent bellum indicendum tanquam non reformatis, si illam minoris majorisque censuræ legem audeamus improbare, vel pro adiaphora habere, ac mutabili: cujus arbitrium jaceat sub Illustr. Ord. & principum delectu, tanquam de modo qui non jam divini, sed humani juris sit. Est enim

Wala-

Walachrum commentum, censurandi illum modum non *adiaphorum* nec humani, sed *divini juris esse* : ac ministris speciali & non tangenda Sanctitate convenire solis : sic ut politicis Usiacam plagam minentur si hic manum admovere, aut aliquid præter Ecclesiasticorum nutum audeant : quasi cum hermaphroditis rem habere se credant; qui censurariam hanc virgam ipsis in manum dederint : ea lege, ut dein debeant, uti fæminæ, pati, si vel Romanus, vel Walachrus ῥαβδοῦχος, βασιλεὺς, *virgifer, Rex*, eorum tergo in hæreat; per fas per nefas : quis enim tales censores ferat, (inquit Gualterus) qui hoc censurandi privilegio putent sibi liberum esse, apertis suis aliorumque vitiis patrocinari, & cuivis bono & pio molestiam creare ? quod aperte facit Papa : & jam usus ostendit Walachros dictis, scriptis, factisque imitatos esse, ut non immerito illis exprobrarim, quod Romanæ meretricis profluvio delectarentur.

Unde jam apparet, frustrà Vlissinganum tam multa balbutire de suo, *dic Ecclesiæ*: quasi Personarum acceptor futurus sit statim Deus, si non liceat illi cum suo Archimysta, pro arbitrio, principum delicta corripere.

Non

Non sunt tam effrenes hodie pii politici, ut nolint divinis suisque legibus subjecti esse (ut Ecclesiastici censores:) quin si adversus eas delinquant se corripi patiantur & admoneri. Sed si virtutes sint quas carpant Walachri, si ob bene, juste & prudenter facta & statuta, publice tumultuentur & populum concitent; an id divino jure pati tenentur principes? quærat Semiviros & superstitiosos spadones tales Grallator sub Romana meretrice, quos longa servitus muliebre hoc imperium pati coegit: apud reformatos, & imprimis confæderatos nostros Belgas, jam 80. annis non inventi sunt, nisi qui ferrum necemque potius intentarint illi scorto, quam ut hæc ab illo paterentur; nedum ut Vlissinganus aut Vereanus, garrulæ & antichristicæ meretrices, id hodie ab illis obtineant.

Quid si etiam aperte delinquant principes, & corripi debeant; an perinde erit quo more fiat correctio? an licebit mucidis illis Sacrificulis impune sua scelera dispensare? & statim jus Dei violabitur, si non liceat illis censoribus in delinquentes principes suo libitu debacchari? Prudentiam hic requiri fatetur Bombomachides; sed quam vult sumendam esse ab Ambrosii censura

ſura in Theodoſium: quæ certe vis & mera imprudeutia fuit! Niſi papiſmi typho titillaretur, proponeret ſibi exemplum Nathanis; quem ſi opponas Ambroſio, merito refrixerit Walachrorum, papiſtarumq; cenſurarius fervor. Hic prætor ſecularis ante, ſubito Epiſcopatus infulas acceperat favore Theodoſii; is vetus propheta, Theopneuſtus, & ab longo tractandorum ſacrorum gnarus: hic unius urbis Mediolanenſis Antiſtes; ille toti Eccleſiæ, & univerſo Iſraeli, doctor a Deo propoſitus: hic Cæſarem cenſurabat, qui humanis & ordinariis tantum dotibus pollens, in errorem humanitus poterat prolabi; ille Regem, qui propheta, Theopneuſtus, & eminentiſſimis donis inſtructus, errorem facilius declinaſſit: hic in delictum atrox ineiderat, ſed cui excuſando aliquis aderat color, quia læſæ majeſtatis reos, Theſſalonicenſes profligaverat; illius delictum inexcuſabile erat, ex adulterio, homicidio, & variis ſceleribus in fidelem ſubditum contextum: hic compellatus, ſtatim doloris & pęnitentiæ multa ſigna edidit; ille pænitentiæ nulla indicia dederat priuſquam compella retur: hic cenſurandi modum legemque tantum ſumebat ab uſu eccleſiæ; ille cenſurandi mandatum modumq; habebat immediate

diate à Deo : hic in censurando erat infallibilis: ille fallibili & humano impetu ferebatur: & tamen hic regiam majestatem reveritus, tam prudenter objecit delictum Davidi, ut venusto apologo prius se damnaret rex quam damnaretur: at ille delicti conscium, ac jam dolentem Cæsarem, tamen publice criminis arguit: hic confitentem statim solatus, nec sacris interdixisse legitur : ille contra pænitentem, pro imperio ab cæna sacrisque abstinuit, & sedere volentem stare coegit ; non desinens vexare, donec sua manu decretum fecisset; ante trigesimum diem posthac ratas non fore sententias Cæsaris. Ut mera immodestia fuerit Ambrosii factum in Theodosium; præ modestia Nathanis in Regem Davidem: unde non injuria cum Gualtero aliisque id factum Ambrosii reprehenditur, quasi Antichristici fastus præludium fuerit; nec usquam magis deprædicatur quam ab Jesuitis & Papæ satellitibus? qui sentiunt suo Papæ scalas erectas esse illa Ambrosii censura, quibus dein omnes principum vertices transcendit: ut ipsi Bombomachidi non aptius occurrerit patrocinium suæ censurariæ; quam ut malæ causæ, malus patronus fieret Lipsius Apostata, de quo olim dictum: *Lipsius*

Lipsius inconstans scripsit de inconstantia: hunc non dissimilem sibi, quia defensorem adripuit; ac me jubet aures arrigere pag. 26. quasi ad Justi arbitri dictaturam Vlissinganus; discutiam obiter quidquid uterque inter se glocitant, dum putant Papæ fastui dispar fuisse Ambrosii factum: primo

Quia non Romanus sed Mediolanensis Episcopus fuit Ambrosius. quid tum? annon potuit suo fastu ostendere Romano Episcopo quomodo contemnendus sit Cæsar? quomodo Antichristicum fastigium esset obtinendum? quod in hoc ponit Scriptura, ut se efferat supra summos Monarchas: id fecit hoc suo exemplo Ambrosius, etsi Papa non dum fuit; id fecit Joannes Constantinopolitanus Episcopus, Antichristi prodromus: ut vel ex Walachro isto Papula didiceris, quid sit Papam agere, & principes contemnere. Sed inquit Lipsius, *Suo exemplo docuit, cuique pastori sua relinquere, quod repugnat Antichristi tyrannidi.* Quasi vero qui sua tractet, ea tractando tyrannus esse nequeat. ex hoc enim facto postea fecerunt Papæ hoc collectum; Si tantum licuit in Cæsarem Urbis, quid non licet Papæ Orbis Episcopo?

Sed

Sed Ambrosius non liberavit Subditos à juramento , & alium Cæsarem surrogavit , quod Papæ proprium est, inquit ;

Quasi vero Leonem non natura sed ætas faciat : non rugit, non laniat pusillus leo ; attamen Leo est , & si adolescat id facere comperitur : ita ungues dentesque Antichristicos ostentavit quidem Ambrosius sua censura, sed non laniavit adhuc Cæsares. hoc reservatum est Anastasio , & imprimis Hillebrando : qui pleni & adulti Leones Antichristici fuere. Ut jam serio moneam illos Walachros ,ut ex modestia Nathanis potius discant principes revereri etiam inter censurandum ; quam ex Ambrosiii imprudentia stultè & cum periculo in eos ferocire.

Bombomachides mirifice crepat pag. 19. & 20. & clamat *atroces Calumnias esse , quod dicam Apollonianos ministros omnium conscientiis , bonis , & vitæ insultare velle. Age,* inquit , *quem unquam bonis exuerunt ? quem vita privarunt ? hoc est pios Ministros velut fures & latrones traducere.*

Quasi jam nesciat Vlissinganus id quod scit ! Grallator inquam (quoties dicendum erit?) Papalem hierarchiam conatus est inducere Mittelburgi. Papa (ut ipse fatetur)

tur) incarcerat, torquet, condemnat, patibulo, gladio, & vivicomburio tollit innoxios homines: at hoc Apolloniani non faciunt, inquit. Quis infantiam non miretur in vetulis? quasi jam cogitet, juvenem leunculum, primo natum, leonem non esse, quia necdum rugit, laniat, ac vorat. Si hoc non facit, non natura sed ætas in culpa est. Ita certe ante sexcentesimum annum illi Romani Leones cæperunt suos ungues experiri & dentes, in principes: sed generosi Cæsares, gladio armati, coegerunt eos intra caveam manere. post annum 600 & imprimis millesimo post Apocalypsin Joannis, cæperunt aperte ferocire ac laniare omnes principes; ut jam constet, ne ipsum Papam semper illa fecisse, quæ Bombomachides recenset. Fateor, Papam habere suos carceres & tortores; sed tamen quia vult prorsus Spiritualis carnifex audire fere illas apertas carnificinas exercet indirecte per politicos. Paulatim enim adsuefecit illos Androgynas pollicem suum osculari; unde, si is mandet, ad carnificinam statim præsto sunt; ut nimis notum sit, papam corporales nullas carnificinas exercere (est enim totus spiritualis) sed facit hoc precipue indirecte, per carnales politicos. Jam velim

 sternu-

ſternutet Vliſſinganus, ut vertigine excuſſa, ſuum Grallatorem videat attente: *Is bonis, vita neminem privavit, inquit*; quid tum! necdum erat adultus Papa, & per impotentiam non potuit: fortuna, non animus illi ad hoc defuit: quotquot enim Antichriſti feritatem ſpirant non ſimul produnt genium, ſed dum inveteraſcunt deterioraſcunt: niſi calanticam oculis obtenderet Vliſſinganus hoc facile videret in Apollonio. Is cenſuraria & concionali clave primo gregariis tubera incuſſit: mox audadacior, Clar. noſtro Vedelio vim intulit: inde Illuſtr. Ordin. Zeelandiæ cæpit concontemnere; dein Magiſtratui ſuo Mittelburgenſi inſultare: quid mirum ſi tandem nil fere meditatus ſit, quam quomodo cenſura majori & minori quemvis publicanum & ethnicum faceret? quod ſi dein, vel palam ab ſuggeſtu declamaret, vel occulte domatim diſpergeret; annon hac via quemvis pro arbitrio, & malis affectibus, fama & honore privavit, quæ cum vita pari paſſu ambulant? non dubito quin ipſe Grallator rideat Claſſis Walachræ imprudentiam; quod non animadverſo papatu hierarchico, (quem manifeſte intendebat, ut ex eo privatim gauderet) tam facile ſuis com-

commentis subscripserint: ut bis ridenda sit Vlissinganus, quæ toties admonita, & nominatim perfricta, nunquam desinit antiquam cantilenam cantare.

Sed nimis longa hæc ineptia desinat: oriatur alia! p. 13. & 50. Bombomachides multum rixatur de titulo *legati* & putat Walachris injuriam fieri, cum rideo legatarias illorum ineptias. Ad quæ respondens, primo negat se jactasse quod legatus Christi sit: *quid ego?* (inquit) *dixi tantum in genere ministros fideles, esse legatos Christi: Papæ! quanti est sapere? raro accedo ad illos Walachros quin abeam doctior:* credideram hactenus ex dicto de omni, quod de specie tota dicitur idem de singulis individuis quoque vere dici. At Philosophia Walachra hoc non amplius verum est; ut qui dicat illic, omnem hominem ratione pollere; tamen dubitare quoque possit, Walachrum mysten etsi homo sit, ratione carere: vel si in genere dicas, omnem fidelem ministrum esse *legatum Christi*, dubitandum tamen sit, an Larenus, verbi gratia, legatus Christi sit? hoc dubium nemo Walachrorum sat scio solvet, nisi id concedat de se Bombomachides, ut dubitetur an quoque fidelis minister sit? quod sat scio nolit. Mira certe Ine p. 17

Philoſophia Walachra eſt; quæ docet, à ſpecie ad individua non recte concludi: at contra ab uno aut paucis individuis, ad totam ſpeciem recte colligi. Scripſi in Grallis indefinite, reformatos reperiri, qui novum papatum ſpirent, & introducere conentur: addideram paſſim me hoc intelligere de Walachris reformatis, non quidem omnibus, ſed de cohorte Walachra, & ſubſignanis octo vel decem; ſpecialius de Bombomachide, ſpecialiſſime de Verano Rullo Grallatore. Hæc licet ad nauſeam ubiq; ſpecificem & individuem, Bombomachides tamen, cleri & multitudinis amans, ex his ſpecialibus ſemper colligit ad generalia: ut, dum ſe ſtultitiæ & novitatis accerſi videat cum ſuo Grallatore, ſemper clamet, omnes Walachros, omnes Zeelandos, omnes Belgas, imo omnes reformatos à me novitatis accuſari; quaſi tam ſtolidus alicubi paſtor ſit, cui dicatur, duas aut tres oves ſcabie infectas eſſe inter gregem, & is ſtatim clamitet, me dicere, totum gregem, immo omnes Zeelandiæ & Belgii & totius orbis oves ſcabioſas eſſe: τούτων ἔλεγχος ἴασις, pharmaco illic opus ſit non argumento; ut jam videas genium! ubi vult, tam generalis eſt Vliſſinganus, ut ab individuo concludat

ad

ad ſpeciem, ad genus, imo ad omnia genera: ubi non vult, tam ſpecialis eſt, ut ab ipſa ſpecie ad individua concludere nolit. vere alibi comicus., *novi morem mulierum, cum velis nolunt; cum nolis cupiunt ultrò.* Sequatur alia ineptia.

Pag. 48. 49. Vliſſinganus rem orditur iterum ab ovo, ac probans, ſe *Legatum Chriſti eſſe*, aſſerit vocationem *ſuam eſſe divinam*; ac mihi iterum fide punica impingit, quod ſcripſeram, *vocationem hodiernam eſſe mere vel tantum humanam:* quod ex Grallarum pag. 252. potuiſſet advertere Bombomachides; uti indicaram in Bombomachia p. 25. ſed beta magis inſipidus, urget ſuum commentum: probat enim, me loco citato dixiſſe, vocationem hodiernam eſſe *tantum* humanam: unde exclamat; *dic mihi inepte vitilitigator, quid interſit inter tantum humanam & mere humanam eſſe: illud tu dixiſti, hoc ego dico.* Helleboro certe nunquam efficias, ut ſpumam omnem excutiant marina animalia, ac recte videant! quis merito indignabitur, ſi dicam, Bombomachidem mere viſibilem ac ſenſibilem eſſe, ſed ratione *corporis*? certe ſi vidiſſet colum ſuam, vel ex hac didiciſſet ineptiam; de qua dicam vere, quod mere & tantum mo- Inep. 18

 bilis

bilis sit, sed ratione rotæ, radiorum, fusi, & fili; quæ semper in linificio moventur; attamen dicam quoque vere, tantum immobilem esse vel quiescere, sed ratione axis vel basis, quæ non movetur sed quiescit. Hoc in vocatione videre quoque est: quæ prout a Deo instituta, divina est, & finem habet sacrum. hæc cum ego in vocatione hodierna esse dixerim, annon lippitudine & ophthalmia laborat Vlissinganus, quod persuadere conetur, me nil divini in vocatione hodierna admittere? attamen hoc quoque vere dixi, *tantum & mere humanam esse hodiernam vocationem*, sed ratione modi quo hodie celebratur: ut jam videre possit nil inter se pugnare hæc duo, mere humanam, & non humanam esse, sed diverso respectu. Inter Apostolos olim modus vocandi erat divinus: etsi enim tunc utebantur precibus, sorte, suffragiis & aliis humanis mediis, tamen Apostolorum Theopneusis, sinceritas, dona discretionis & extraordinaria Spiritus Sancti assistentia Act. 15. Act. 20. addebant illorum & ecclesiæ vocationibus insignem divinitatis & sanctitatis modum: de quo Jesuitæ hodie quoque gloriantur: sed usus quotidie ostendit, ipsa electione Papæ nil esse corruptius

ruptius & fraudulentius: unde apparet Papiſſare Bombomachidem, quod hodie inſtar vetulæ garriat, hodiernum & imprimis Apollonianum vocandi modum eſſe divinum, quia non humanus modo, ſed corruptus & vitioſus fere eſt : ut non raro ab ſpe connubii, vel politici muneris; ab venditione ædium vel agelli, à promiſſo abaci, vel librarii aut pecuniarii præmii, immo convivalium lautitiarum, appendantur vocationes miniſtrorum, quæ certe, nimis terrena & humana eſt divinitas; ut non poſſim ſatis mirari, quod excuſſa calantica, priuſquam hæc ſcriberet Vliſſinganus, non prius circumſpexerit, Mittelburgi aut alibi quid rerum gereretur: ac ſi forte pro antiquo candore has vocatorias divinitates, in ſe non reperiret; ſi tamen leproſum Grallatoris palliolum audenter ſublevaſſet, non dubito quin eas illic inventurus fuiſſet pleno pondere : Sed alia ineptia prodeat.

Bombomachides Ep. 2. pag. 51. pergit defendere ſuam vocationem divinam eſſe. Et repetit argumentum ex intima Theologia Apollonii & Jeſuitarum petitum, quod ſæpe disjeci, ex locis Eph. 4. & Actorum. 20. ubi dicitur, quod Chriſtus *dedit paſtores,* Inep. 19.

 & Spi-

& Spiritus Sanctus posuit Episcopos Ecclesiæ. Unde modum hodiernæ vocationis divinum ostendere nituntur. Sed mere papisticæ ineptiæ sunt.

Fateor, tempore Apostolorum pastores ecclesiæ Speciali modo à Deo datos & à Spiritu Sancto constitutos fuisse: tum ob dona spiritualia quibus tunc pollebant, tum etiam ob illustrem & divinam vocationem qua erant vocati: sed quid hoc ad Walachros? quos Spiritualibus donis sæpe inopes, humano ac corrupto fere modo vocari constat, ut in Grallis ostendi.

Respondet Bombomachides pag. 51. & 52. illam dationem pastorum, de qua Paulus loquitur Act. 20. & Eph. 4. semper in Ecclesia durare: quia inquit τὸ vel illud *dedit* ita intelligendum est, ut significet quoque *dat dabitque* semper ad finem mundi. Facetus inrerpres! qui ex præteritis possit facere præsentia, futura & semper duratura. Quam vellet verum illum dicere Grallator! is enim vendens suas Sanctitates, præsertim vocatorias, aliquando sensit quid sit illud *dedit*, cum accepit aliquid: quam beatum se existimaret, si illud dedit esset quoque, *dat*,

& *dabit*

& dabit semper : tum semper acciperet. Sed mitto hanc facetiam.

Dico, nugatorem esse Bombomachidem, quod per præteritum *dedit* hic velit intelligi debere *dat* & *dabit* semper. Certum est illum has nugas cum suo Grallatore didicisse ex Jesuitis, & in hoc papistis favere, atque hanc lepram ab illis contraxisse, quam egregie ex ipsis Apostoli verbis expurgat Cameron. Ostendit primo, illud τὸ dedit in præterito non autem in futuro accipiendum esse; quia hoc dato sequeretur ex Pauli verbis, Deum non tantum dedisse, sed etiam semper daturum esse Apostolos & Prophetas: Secundo inquit, verba illa Pauli, *donec omnes evadamus in virum perfectum* : de fine seculi non sunt accipienda; quia nulla hic fit mentio finis seculorum &c. ut papistæ volunt.

Sed inquit Bombomachides, *Cameron nequaquam negat Christum ad finem seculi Ecclesiæ suæ daturum esse fideles Ministros.* Respondeo, aniliter nugari Bombomachidem, quia id non tantum negat Cameron, sed ostendit, ad aliquot annorum centurias ecclesiam conservatam & propagatam fuisse in papatu, per infideles pastores qui oves

suas

ſuas duxerunt ad paſcua, quibus inerat quidem unde paſcerentur, ſed tamen multum quoque veneni. Ut ille loquitur.

Unde nunc dico, Chriſtum ſemper quidem Eccleſiam ſuam propagare per paſtores, ſed non ſemper per legatos. Quia aliud eſt paſtorem agere in Eccleſia, aliud legatum Dei. Quod ex ipſo Camerone quoque diſcat. *Nam, inquit, ut homo homini Lupus eſt, ita nil prohibet hominem homini paſtorem eſſe. neque enim illi ſoli medici ſunt qui ſolemni quadam pompa provecti ſunt ad id muneris, ſed medici ſæpenumero ſunt qui rem tenent, & à rei pompa quam maxime ſunt alieni, quales ſunt deplorata & perdita Rep. boni cives, qui tamen non ſedent ad gubernacula Reip. ſuſtinent tamen, ut poßunt, ruentem domum, & pro virili parte ſtudent eximere naufragio quaſdam tabulas, adeoque eos qui tabulis inſident.*

Unde nunc videat Bombomachides argumenti futilitatem quod proponit pag. 51. hoc eſt argumentum meum, inquit. *Chriſtus dedit eccleſiæ ſuæ paſtores &c. hoc autem durabit ad finem mundi uſque. ergo legitimi & fideles qui nunc ſunt paſtores, dantur à Chriſto, & vocatio illorum eſt divina: & ipſi ſunt Legati Chriſti.*

Reſpon-

Reſpondeo, dationem de qua Paulus loquitur non eſſe ordinariam & vulgarem; ſed illuſtrem & extraordinariam, qualis tunc facta fuit, cum (ut apoſtolus loquitur) Chriſtus in altum aſcendit, & dona dedit hominibus, & alios quidem Apoſtolos, &c. quam perpetuo in Eccleſia duraturam eſſe neque Paulus docet, & per Experientiam refellitur. Quia illa donorum datio non perſeverat, quod ſi hactenus in ſe ipſo non potuit ſentire Bombomachides, ſaltem nunc ex Calvino diſcat: *Ex hoc Pauli loco cojicere licet* (inquit,) *quam præclara bonorum ſpiritualium copia & varietate illa eccleſia floruerit. Erant Prophetarum collegia, ut labor eßet in diſtribuendis vicibus: erat donorum diverſitas tanta ut aliquid redundaret. Nunc videmus noſtram tenuitatem, imo inopiam: Sed juſta ſcilicet pœna hæc ingratitudini noſtræ rependitur. neque enim exhauſtæ ſunt divitiæ Dei, imminuta ejus benignitas: ſed nos neque digni quibus largiatur, neque liberalitatis ejus capaces &c.* Cal. in Com. 1 Cor. 13 32.

Unde nunc ſtatuo, falſum eſſe Bombomachidis conſectarium, *ergo legitimi & fideles qui nunc ſunt paſtores dantur à Chriſto.* Quia utcunque Chriſti eccleſia hodie propagetur per paſtores, non tamen per tales

quia

qui à Christo dati sint illustri illo & divino modo, qui tamen requiritur, ut vocatio sit *divina*, non tantum ratione *authoris* & *finis*, sed etiam tatione *modi*. Qui cum hodiernis pastoribus desit, dico vocationem illorum esse quidem *divinam* ratione *Authoris Dei*, & respectu finis, ut in Grallis monui; sed *mere humanam*, *quoad modum, quo hodie fit*, *humanum & corruptum*. & proinde hodiernos pastores non esse legatos Dei, quod Bombomachidi erat probandum, ne in posterum rideamus legatarias illas ineptias, quas tantopere affectant Apolloniani ministri. Sed satis de hac ineptia: prodeat alia.

Inep. 20 Bombomach. pag. 14. Valde putat lædi Walachros ministros, quia voco eos *mercenarios*. unde exclamat: *en quam egregio honore afficiat pios ministros! qui omnes huic homini sunt Magistratuum mercenarii.*

Dodrantalis Philosophus, videtur ignorare, mercenarium ex genere relatorum esse: relata autem sunt simul natura: Si enim verum est, teste Paulo, ministris etiam probis deberi mercedem (dignus enim est operarius mercede sua, inquit) tum sequitur, pios ministros esse quoque mer-

mercenarios. Opponuntur enim, ut relatio & terminus, merces & mercenarius, ſive is qui mercedem accipit: jam neceſſe quoque eſt, ut mercenarius alicujus mercedem accipiat; unde neceſſario ſequitur, quod mercenarius quoque ſit illius, qui mercedem illi dat, vel cujus mercedem accipit. Hic velim iterum ſternutet Bombomachides, ut videat, an non ſint Illuſt. Ordines & pii politici, qui miniſtris dant hodie mercedem. Fateor, Grallatoris mitram, & Bombomachidis calanticam vehementer concuti; dum indignantur, ſe Authoritativos Chriſti legatos Walachros, debere victitare mercede politicorum; imprimis dum cogitant, quam felix ſit Papa & Romanenſes clerici; qui longa rapina, inſtar hirudinum, ita exſuxerunt Chriſtianos; ut contemptis ſuis dominis, non jam amplius ſint mercenaiii, ſed Uſurarii & Collybiſtæ; qui potius omnes principes & Chriſtianos fecerunt ſuos mercenarios & jumenta. utcunque hac Metamorphoſi valde delectentur Walachri illi; tamen venter creat illis has ærumnas; ut mercedem debeant accipere à politicis; unde neceſſarium quoque eſt eos eſſe *Magiſtratuum merce-*

Mercenarios quidquid indignentur. Non ignoro, pios ministros manere in cælo ampliorem mercedem, unde quoque Christi mercenarii sunt : sed hac sola mercede nolint contenti esse illi Walachri : tunc enim deberent gratis & sine Ordinum stipendio prædicare, ne Ordinum mercenarii essent : quod sat scio esset culinare, vel marsupiale paradoxum admodum detestabile Walachris. Bombomachides exclamat : *fures perjuros esse , & detestabilissimos animarum latrones ministros, si Magistratuum mercenarii sint* : Sed vide acumen ! definit mercenarium solum esse *qui sola lucri spe non simul ex amore labores domino suo accommodet.* Qua definitione ridicula nemo mercenarius, nisi qui nebulo sit.

Paulus Eph. 6. 7. servos & mercenarios instruens de officio, longe aliter loquitur : jubet eos *Servire dominis cum simplicitate cordis , toto animo , in charitate tanquam domino* : ita serviverat Labano Jacob Patriarcha ; cujus mercenarius fuerat : dicitur enim quod Laban ejus mercedem aliquoties inverterat. Fateor quoque reperiri tales mercenerios, de quibus Joan. 10. Christus queritur, *qui fures sint & Lupi*; sed hoc dicto noluit Christus , omnes tales esse ,

qui

qui mercedem accipiunt, hoc est, quicunque mercenarii sunt; ut hic rursus nimis generalis sit Bombomachides, qui à specie ad genus inepte concludat; quasi omnes reformati ministri debeant esse tam impuri & avari mercenarii, quia forte inter Walachros unus & alter ita reperiantur: Tam avidus enim dicitur esse hujus mercedis temporalis Grallator, ut si vel tantillum honorarii illi decedat, non aliter tumultuetur quam vitæ si vim ferat; perquam similis Romanæ illi meretrici quæ manus habet oculatas, & nil credit quam quod videt: unde nunc videat ineptiam suam Bombomachides qui tantopere indignetur, ob nomen mercenarii, quod putat inhonestum esse, cum tamen mercede à qua hoc nomen dicitur, neutiquam velit carere. Sed aliud prodeat quod rideamus.

Pag. 13. &c. Magnam Calumniam esse dicit Vlissinganus, quod alibi suspicatus sim, principale fundamentum spiritualitatis Apollonianæ esse in *crumena*, ubi Judæ quoque erat; ac sic se habere Walachros illos Papistas; quasi ærarium sibi facere velint, contra politicos, ad quæ exclamat: *si ipse diabolus ex abysso prodiret, an horribilius posset calumniari?* Incep. 21.

Quis

Quis non miretur, marinas torpedines hic tam acute ſentire! ſolus certe Grallator effecerit, ut quiſque ſic mecum ſuſpicetur. is non contentus ordinaria mercede, tanquam Collybiſtes, uſurarias fecerat Mittelburgi, omnes ſuas ſanctitates; & Judæ non diſſimilis, lucrum venabatur ex re qualibet; quod vel ſolo Eleemoſynarii commento oſtendebat, quo, mira contentione, litigans cum politicis de jure accipiendi & diſtribuendi Eleemoſynas, longo etiam ſcripto rem edens, nihil aliud videtur intendiſſe, quam ut pecuniariæ illius Sanctitatis eſſet poſſeſſor & arbiter, extruſo Magiſtratu tanquam profano, & qui *extra ecclesiam ſit* ut aſſerebat. Quis non videt, hanc ſanctitatem eſſe ſimilem illi quam Judas obtendebat contra unguentum Mariæ, dum ex illius parſimonia ſtudebat ærarium ſuum ditare centum Florenis noſtræ monetæ, (ut ſupputant vulgo) dum ille Walachrus non diſputarit de dominio centum Florenorum, ſed ſexagies centum, hoc eſt, mille librarum Flandricarum, quas mihi dictum eſt illa collecta Middelburgenſi tunc confectas eſſe. Id ſi ſuo ſacro jure potuiſſet obtinere Grallator, ut aliquotiens ſuæ eccleſiæ impoſuiſſet talem

cen-

cenſum, annon illic cito vidiſſes in Walachria iterum *Romanos rerum dominos gentemque togatam?* Non fuit Judas ſolus talis pecuniarius artifex; ſed Papa Romanus omnium profanitatum architectus (ut indicaram) hac Eleemoſynari ſanctitate ita quoque luſit, ut hujus ſpecioſo obtentu immenſas opes convaſarit, tanta impudentia, ut multis locis ipſe Platina rapacitatem carpat Romanæ illius harpyjæ; ex qua id extitit, ut non modo in immenſum ditatum ſit Petri patrimonium; ſed non ſemel accidit, ut in milites effuderit, quoties ſuis verbis diſciplinariis, & cenſurarii fulminis lamiis non ſatis terrerentur Principes. Hos mores cum longo rerum uſu pernoſſem ipſa autopſia; quid facilius erat quam id quoque ſuſpicari de Walachro illo Papula, qui non papalis regiminis faſtum modo ubique æmulabatur; ſed imprimis illic opum & pecuniarum jus quoque quærebat, ubi miro ſucceſſu Papæ (pręter omnium opinionem) ante aurei montes excreverant: ut jam futilis ſit indignatio Bombomachidis, quæ puerili hoc fundamento nititur, quod putet politicos, & nos imprimis Friſios, ignorare, quid ſit etiam parvo ære ineſcare homines. Sed nova prodeat ineptia!

O Paſſim

Inep. 21. Passim clamitat Bombomachides, uti ministrorum Walachrorum honorem depectam, ita Magistratui me nimis supparasitari. Ep. 2. pag. 12. inquit, *nos Blasphemiæ accusarimus Grallarum authorem, quod Magistratui tribuat architectonicam potestatem in formaliter ecclesiasticis, & absolutum in ecclesiam dominatum, & pag. 42. addit, formaliter ecclesiastica, specialis juris (qua repetit Apolloniano more) talia esse, ut si ad hac Magistratus, qua Magistratus, manus extendat absque speciali vocatione, peccarit ut Usias &c.*

Salivam prius exterseris linificis, quam maledicentiam! toties admonita Vlissinganus non desinit blasphemiam vocare quod ipsa Orthodoxia est. Quis obsecro speciali jure sacra fecit illa ecclesiæ negotia, quæ sub Levitis communis juris fuere? nemo certe Apostolorum! aut tabulæ proferantur! doceat Bombomachides scriptum esse, vel timeat illud væ, scripturæ quicquam adjicientibus destinatum. Singula in Grallis speciatim excusseram; ad quæ Vlissinganus uno anhelitu; *ego dico illum late cum ratione insaniisse:* inquit. Hoc est ratiocinari! scilicet uti Anticyris solebant! Si formaliter ecclesiastica sunt hodierni cultus negotia, & Usiæ crimen com-

mittunt

mittunt quotquot politicorum ea tangunt; cur tot pii politici ea tetigerunt in Vet. Teſtamento, ſine pæna Uſiæ? cottidie in eccleſiaſticis leges ponunt Magiſtratus: vocationes dirigit & quoque per ſe facit cum eccleſiaſticis, cenſuræ majoris arbitrium à ſuo judicio & arbitrio ſuſpendit; deniq; multa formaliter Eccleſiaſtica totaliter vel partialiter perficit. Quam mirum eſt, neminem politicorum, dum Uſiæ peccatum committunt, in Uſiæ lepram incidere? niſi nugentur Walachri ſuo more, hoc vocationis vicem implere in politicis, quod eccleſiaſtici eos per condeſcendentiam ad hæc negotia admittant inviti ac cum animi dolore: Haud aliter ac ſi olim Levitæ politicos admiſiſſent ad ſua Sacrificia, quod illi nunquam tentarunt, nec paſſi ſunt. In hoc hodiernis miniſtris fideliores in defendendis ſuis ſacris, ſi modo vera ſunt quæ Apolloniani Walachri nugantur, hodierni Choragii negotia externa ſpeciali jure ſancta eſſe, ut olim erant Levitica & templaria negotia politicis interdicta.

Sed repetit ſuum argumentum ab abſurdo Bombomachides; quod in Bombomachia rejeceram.

 Si

Si Magistratus pollet divinitus Archi-tectonica potestate in formaliter Ecclesiasticis, tum esset supra omnem Ecclesiasticam censuram constitutus. inquit. Quid ita? *quia posset pro libitu concionari; Sacramenta administrare, ministros vocare & deponere, etiam invita ecclesia:*

Haud aliter ineptit de Architectonicæ potestatis jure & officio, quam nuper de mercenarii acceptione. hunc ita describebat, ut neminem mercenarium agnosceret, quin pro Sycophanta esset habendus, ut ab se mercenarii titulum propelleret: ita hic nullam Architectonicam potestatem agnoscit, nisi quæ impia sit & omnes leges humanas & divinas pervertat. Certe hanc rem ex suo ingenio, & ecclesiasticorum more metitur Bombomachides, quibus solenne est, omnia cultus & religionis sacra pervertere quoties absolutam potestatem habent in cultus negotiis; quod videre est in papatu. absolutam in sacris potestatem possidet profligato gladio politico. sed quid inde? annon omnium sacrorum inversio & corruptela religionis exstitit? rarissime comperitur id accidisse, quod ecclesiastici, rerum summam libere possederint in ecclesia, quin omnia fere corruperint supersti-

tioni-

tionibus ac novis commentis:uti vel in Walachro illo Papula videre fuit; qui non re, ſed ſpe & opinione tantum Mittelburgi imperans, quantum illic turbarum & novitatum cuderat in eccleſia? horum conſcius Bombomachides, audacter id quoque aſſeverat, futurum de politicis; ſi eccleſiaſticæ cenſuræ non ſubſint (ut ipſi ſolent) tum facile omnia perturbaturos. ſed centies contrarium eveniſſe oſtendi poteſt: ac tunc fere floruiſſe cultum Dei & religionem, cum pii politici tanquam nutricii cultus negotiis ſe admiſcuerunt. hoc non experientia modo evincit, ſed ratio quoque demonſtrat: politici enim architectonicam poteſtatem poſſidentes, eam in Eccleſiaſticis negotiis non exercent pro voluntate & arbitrio, ſed bonis Eccleſiaſticorum conſiliis ſe facile induci patiuntur, ut quod æquum eſt ſtatuant & authoritate ſua confirment: Eccleſiaſtici contra, quales ſunt Apolloniani Walachri, utcunque Architectonicę poteſtatis inanes, abſolute tamen ſemper regnandi avidi ſunt, & relicta ſacrorum cura, vel (ſi illis viſum ſit) perverſa tota religione, per fas per nefas dominatum abſolutum ſemper venantur, primum in Eccleſiam, deinde in mundum; ut in Antichriſto Papa non ſolum ſed in Gral-

latore usus docuit : ut certum sit, cultum sacrum perire, nisi adsit Theopneusis, ut sub Apostolis; vel persecutio & crux, vel tandem politica & Architectonica potestas, quæ fastum Ecclesiasticorum compescat.

Sed instat Bombomachides; *quid si leges non revereatur politicus, sed cum Theodosio manus sanguine inquinet? hoc hoc erat demonstrandum, inquit, tum illud, dic Ecclesiæ, nullius esse usus respectu Magistratus.*

Miser Theodosius, etsi papalis fastus transtrum fuit, tamen apud Walachros sanguinarius audit!

Sed nihil opus erat Vlissinganum ita stomachari, quia novit, quod Ecclesiastici inter se illud, *dic Ecclesiæ*, tam contemptim transsiliunt, dum se mutuo ab delictis excusant, ut de eo sæpe ne cogitent quidem. quia tamen veterum papistarum morem in hoc sequens, ita exclamat de suo *dic Ecclesiæ* contra politicos, ut eos pro libitu censurare possit; quæram primo: quænam sit ista Ecclesia quam Christus illic vult principes censurare? Papa dicit se esse, sed nugator est; Walachro-papistæ dicunt, prædicatores esse, & Ecclesiam repræsentativam: Sed ego nunquam legi in scriptura,

tura, nec legit credo Bombomachides, præpositis ecclesiæ nomen ecclesiæ magis tribui quam Episcopo.

Quopacto igitur regi persuadebit hoc, dic Ecclesiæ, authoritativo & speciali privilegio ecclesiasticis convenire, ut Rex in timore Dei se illis subjiciat? Multa enim dicenti & nihil probanti de jure non nascitur privilegium, ut latius in Grallis ostendi pag. 162. 163. ad quæ Bombomachidem remitto.

Secundo, cum Christus dicit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus, quæram rursus ex Bombomachide, quomodo Rex, secundum expressam doctrinam scripturæ, habebitur à fratre pro publicano & Ethnico? Dicet credo non communicabit cum illo; atqui hoc scriptura nusquam fratri læso præcipit, sed expresse mandat singulis qui sunt in Ecclesia. 1 Cor. 5. 11. 12. *ut si quis cum frater nominetur, sit scortator, aut avarus, aut idololatra, aut convitiator, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi ne edant, quidem.* Unde liquet hoc esse pro ethnico & publicano habere secundum scripturam, à privato alicujus consortio se subducere ut pudefiat, neque illius conversatione contaminemur: quod cum in regibus non ha-

beat locum, sequitur, illud Christi *dic Ecclesiæ* ad Reges hoc loco non dirigi, sed tantum ad privatorum fratrum jurgia & offensiones, ut textus indicat. Ex particulari autem privatorum lege & præcepto generalem regulam facere velle, quæ sine exceptione ad reges & principes se extendat, tam frivolum est, ut nil ineptius fieri possit.

Scriptum est in lege Num. 19. *vir qui adulterium commiserit cum uxore proximi sui, moriendo morietur adulter & adultera*; generalis lex est: neque tamen in principe vel Rege habet locum, ob specialia privilegia quæ regibus concessit Deus. Unde hoc Bombomachidi demonstrandum est, illud Christi, *dic Ecclesiæ, & sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus*, de Regibus quoque Christum statuisse.

Nam quæram porro: Quomodo pastor faciet principem publicanum? an eum fugiet vel ejus consortio abstinebit, an persuadebit populo, ut omnes principem fugiant & ejus consortium vitent, uti olim de publicanis fiebat? hoc certe esset seditiosum & impium! Respondebunt Walachri, abstinebit à Cœna; & cogemus eum sedere inter pueros, vel stare inter Catechume-

chumenos, & sic eum publice subsannabimus; ut Ambrosius olim bene & pie fecit. Sed ostendi aliquoties hunc modum censuræ minoris, vel faciendi publicanum, in scripturis non reperiri & Apostolorum praxin ei repugnare; unde non injuria imprudentiam & Ambrosii audaciam ac superbiam taxavi, quod in hoc censurandi modo exercendo contra Cæsarem, tam ferox fuerit; ut cum periculo suæ & totius Ecclesiæ salutis, eum noluerit omittere. si usquam habuisset divinum præscriptum in scripturis, hoc modo censurandi in Cæsarem utendum necessario esse, fuisset generosum factum pro Christi lege etiam mortem oppetere; at quia hæc lex nusquam extat; mera imprudentia fuit, cum summo principe, de lege humana servanda, tam acriter contendere: ut jam dicam Walachros nescire, quomodo hodie utentur suo *dic Ecclesiæ &*, *sit tibi tanquam publicanus* in censura minori (ut loquuntur) contra Principes.

Quæram ultimo quomodo, principem facient Ethnicum hodie? nam hunc modum quoque nusquam definit scriptura. Apostoli refractarios tradebant Satanæ & puniebant miraculose: hæc omnia jam impossibilia,

lia ſunt. Eccleſia poſt Apoſtolos multos ritus excogitavit; ſed non habent divinam authoritatem; unde jam patet non conſtare Walachris, quomodo utentur ſuo dic Eccleſiæ in majori cenſura contra principes. an principi publice ſacra interdicent? quid ſi nolit parere? an agmine facto in illum irruent, vel e templo ejicient? nil proficient, quia princeps vi vincet, niſi populum declamando in illum irritent, aut per indirectum ſtudeant ei principatum aut vitam eripere; & hæc omnia ſeditioſa ſunt, & Papæ tyrannidem ſapiunt. Ex quibus jam patet, fruſtra ita vociferari Vliſſinganum de ſuo, dic Eccleſiæ, utendo, ad compeſcendos rebelles & ſanguinarios principes: Unde dico totam correptionis vim contra principes hodie conſiſtere in admonitione, obteſtatione, precibus, & lachrymis, à privatis fratribus, vel ab Eccleſiæ propoſitis illi oblatis, vel aperte, vel tecte & prudenter, ut Nathan fecit. Cum certum ſit ex ſcripturis, non præpoſitis modo ſed privatis quoque fratribus id juris eſſe, qui ſub eccleſiæ nomine denotantur: ut in Grallis late oſtendi. Sed aliam ineptiam audiamus.

Inep. 22. Pag. 43. 45. perſtat in antiquo delirio

Bom-

Bombomachides, quod Blasphemus sim; & Gnatho, quia dicam Magistratus esse *Deos quoque in animas.*

Quam Blasphemiam dixeram Paulo, non mihi, impingi, quia Paulus Rom. 13. dicit *omnem animam subjectam esse Magistratui ob conscientiam*: non mirum est Vlissinganum hoc non videre, quæ in multis cæcutit; si tamen oculos habet, faxo videat. Magistratus qua Magistratus Deus est in terris. Psal. 82. unde evidenter sequitur; Magistratum Deum esse in omnes, & cum illi omnes non tantum sint corpora sed animæ; consequens est ut non corpora tantum sed animas subjecerit; & alio consequenti; non Deos tantum in corpora sed in animam quoque esse Paulo dicente; ut jam videat Bombomachides Paulum ejusdem blasphemiæ mecum esse reum; si recte exclamavit. Sed excipit Paulum per *animam* intelligere *hominem*. Quid hoc ad rem? nisi enim fingat hominem inanimem, sequetur quoque Magistratum esse Deum in animam; quia homo non corpus modo habet sed *animam*. si posset aliqua ratione ostendere Bombomachides, per *animam* intelligi *Corpus* sine anima à Paulo, crederem illum non delirare; nunc autem quia evidens est,

est, Paulum ad summum per animam hic intelligere hominem (ut fatetur) id est corpus cum anima; quis non videt helleboro opus esse Vlissinganui? quæ clamat, Paulum intelligere corpus non animam, nisi illi Walachri sint pura corpora sine anima: utcunque habeat, certe Paulns non metuit hoc BombomachidisBlasphemum,cum volens dicere Magistratum esse Deum in *hominem*, potius dixit esse Deum in Animam quam in Corpus: quia ut Blasphemiam vitaret, potius debuisset dicere omnia corpora, non animas, Magistratui tanquam dis subjecta esse debere: non enim qualemcunque subjectionem Paulus denotat, sed illam quæ Magistratibus debetur tanquam dis, & in eminenti potestate constitutis. Sed sequatur nova ineptia.

Inep. 22 Pag. 15. Rixatur iterum de compedibus ferreis, & *gladio ancipite*, de quibus agitur Psal. 149. quorum jus & potestatem contendit convenire solis præpositis ecclesiæ, non Regibus & Principibus: putat enim figurate tantum non litteraliter accipiendas esse compedes & gladium; in quo eruendo tam curiosus fuit, ut ipsorum Rabbinorum commenta & tricas pervestigarit;

garit; haud minus inutili opera, quam noctes Atticas Gellii scrutatus, ut in me Arillatoris nomen inveniret. Locus Psalmi, quomodocunque intellectus, inepte trahitur ad jus speciale censurarium Walachro-papisticum stabiliendum; quasi credere debeant Christiani, vel litteraliter, vel figurate ministros solos tanquam Spirituales lictores & carnifices in republica oberrare debere cum compedibus ferreis, & veluti Tyrones gladio alligari, quo vel directe vel indirecte Apolloniano more possunt cujusvis Bonis, famæ, & vitæ vim inferre. hoc non Psaltes, nec aliquis Theopneustus somniavit, sed Papa commentus est, & Grallator imitatur.

Aut enim litteraliter accipit, *compedes & gladium* David, aut *figurate*: Si litteraliter; tum hæc non pertinent ad prædicatores; sed conveniunt solis Principibus, ut ego exposui; nisi cum Papa sumant jus gladii per indirectum, quod tyrannicum est & impium. si figurate; tum ne sic quidem speciali jure sacro conveniunt prædicatoribus: quia toto Psalmo apparet, Davidem hæc non tribuere solis Levitis aut clericis, sed, ut loquitur, toti Israeli, filiis Zionis, populo & benigne acceptis:

hoc

hoc est, omnibus fidelibus & Christianis; prorsus dissentiens à Walachra theologia, sed conveniens cum Paulina Eph. 6. qui gladium, clypeum, galeam & totam armaturam Spiritualem dat & commendat, non solis prædicatoribus & clericis, sed omnibus fidelibus & piis: ac proin ipsis quoque principibus; nisi eos extra ecclesiam & Dei populum exterminet Walachrus Anabaptista.

Sed pergat denuo ineptire!

Inep. 23. Pag. 54. Dicit me Gnathonem esse Magistratuum, quia adulatorie scribam, *eos solos esse κατέχοντας & retentores Antichristi.* hic mirifice ampullatur.

Ridiculum caput! cui nunquam calanticam ita erigas, quin pendula semper impediat recte videre. nisi ineptiret vidisset me verum dixisse. Respexi ad locum Pauli. 2 Thes. 2. ubi Paulus divinissima Prophetia prædixit, unicam remoram Antichristi & τὸ κάτεχον, fore Cæsarem & imperium politicum: quo ablato, τότε tunc statim, summum fastum occuparet Antichristus Magnus. Quod in Bonifacio visum est circa annum 600. qui prostrato Mauritio Cæsare, cum tribus filiis Augustis, dictus factusque est statim caput Ecclesiæ, id est, infantilis

Anti-

Antichriſtus; & clarius in Hillebrando, qui circa annum 1080, ſubjugato Cæſare Henrico 4. factus eſt adultus & quadratus Antichriſtus magnus: ut certe experientia ipſa comprobata ſit veritas diviniſſimæ prophetiæ Paulinæ de ſola Antichriſti remora. Non inficior alios fuiſſe, qui faſtui Papæ omni tempore reſtiterunt; ſed hi omnes non potuerunt eum impedire ſoli. Proſtrato autem Cæſare & ſummo imperio politico, fruſtra renitentibus aliis remoris, Papa factus eſt plenus Antichriſtus, ſummo imperio in Eccleſia & politia accepto, & ſumto jure utriuſque gladii. Neque hoc obſtat (ut Vliſſinganus nugatur) quod illi Cæſares fuerint plerumque impii: etſi enim nil quam de ſua Majeſtate tuenda eſſent ſolliciti; tamen quam diu generoſos illos Spiritus ſervabant ut neminem vellent ſupra ſe pati, non potuit cum pleno faſtu apparere Antichriſtus: ſed ſimulac metu vel ſuperſtitione territus Cæſar, ſe ſubjecit laciniis Eccleſiaſticis, & tanquam limphaticus amaſius omni virilitate ab eccleſiaſticis exſectus, ſe ſubſtravit meretricibus Romanis, & paſſus eſt ſe ab iis permingi, tunc Papa ſtatim factus eſt Antichriſtus magnus: quia ſe extulit ſupra omnes

nes Monarchas, quod quaſi pathognomonicum ſignum Antichriſti ponitur à Paulo. Quæ nunc verbo dico, in tractatu meo de Antichriſto magno (ſi vivo) plenius diſſerturus. Nec metuo me cum bono Deo id facturum feliciter (quidquid ominetur Vliſſingana Druis pag. 46.) niſi infortunium feram, ut non inter viros, ſed calanticatas ἑλκυσιπέπλους verſer, quibus contemptis, quoque ſufficiet ſapientibus ſatis dixiſſe. Id in Magno Antichriſto tam verum fuit, ut nunquam fere parvi Antichriſti dein excreverint, quin ab ſubigendo Magiſtratu politico ſemper rem auſpicati ſint: quod in Monaſterienſi Papa Becholtio viſum eſt, & nuperrime in Walachria, ubi Vereanus papula Grallator, Eccleſiaſticum & papale imperium ſcripto meditatus pueriliter, ſtatim cæperat Ordin. Zeelandiæ, & Magiſtratus Mittelburgenſis poteſtati illudere; certo certius tenens (quod Bombomachides videtur ignorare) omnes imperii ſui remoras inter Eccleſiaſticos fraticellos ſe facile ſuperare poſſe, ſi politicam poteſtatem, & ſolam gladii remoram ſibi ſubſterneret: ut jam quivis videat, ſolos principes politicos eſſe proprias antichriſtorum Eccleſiaſticorum remoras.

Pag.

Pag. 29. &c. Excuſat ſe *quod Magiſtratum in me concitare velle dixeram eum, in Bombomachia, ut cæca obedientia puniret Grallarum authorem, de quo* neſciebat ipſe præmio an pæna dignus ſit? de quibus mirifice ineptit! Inep. 24.

Primo negat factum: & clamat ſe Magiſtratum non in me concitaſſe: ſed quid? ſcripſit tantum, ô ſi ita fiat! ut Magiſtratus tales famæ fures, peſtilentiſſimos (me intelligit) plectat! quis jam non miretur ſubtilitatem Bombomachidis!quem ſi premas, inter bombum & crepitum cogas diſcrimen oſtendere: ego hæc non plus differre arbitror, quam ſi anum dicas quæ garriat vel vetulam, quæ tantum differunt ſecundum dici, non ſecundum eſſe.

Non minus ineptit cum negat ſe cæcam obedientiam poſtulaſſe à Magiſtratu,ut puniret crimen quod non Magiſtratus modo ſed ipſe Bombomachides adhuc neſciebat, crimenne an virtus eſſet: fatebatur enim ſe non legiſſe Grallas, ne quidem illius magni convitii meminerat,quoGrallator pios politicos injurioſe vocabat Papas vel Antichriſtos: abſtinebat ipſe ab argumẽtis ſed Grallatori id commendabat, quem cum videret,

non uti disputatorem , sed ut bolinthum prodire : annon cæca obedientia fuisset : si Magistratus tali monitori paruisset, in puniendo Grallarum authore, in quo videbat virtutem non crimen esse? p. 31. monet me *ut vertiginosos quæram qui nesciant an crimen sit, viros honestos Walachros Mystas, perstringere :* fateor non inquirendo etiam me invenisse vertiginosos Apollonianos Walachros ; qui putent pro vere piis Mystis habendos esse, qui vel ex inscitia, vel malitia, novum papatum hierarchicum conati sint in Ecclesiam inducere; quod jam ostendi luce meridiana clarius multis in locis, ut non multum metuendum mihi sit, ne vere pios Mystas dicteriis indignè perstrinxisse videar ; cum nec falsis nec indecoris jocis, sed digne & pro merito, carpam illorum nævos, sacrorumque profanationes ; non sine publici boni tutela : unde nil opus est calanticam ita quatere Vlissinganum, & mitram pæne excutere Vereanum , dum provocat Deum vindicem in politicos Apollon.pag. ultima, quia Grallarum authorem non puniant, sed protegant suo applausu. Demetriana est illa obtestatio, quam prudentes politici, longo usu

ufu dedidicerunt contemnere! indignum certe fuerit, fi Vereanus & Vliſſinganus loquaces noſcent, quot & qui magnatum & piorum politicorum, præmium collatum optent Grallarum authori, quia turpem & calamitoſum papatum Walachrum in herba ſuffocarit Grallarum editione. Sed nova oriatur ineptia!

Pag. 39. Vehementer indignatur quod illum nævum Walachrum ut fabulam retulerim, *de abſumpto illic & alibi vino cœnæ*; ad quod anili ferocia crepans, cornuto argumento, cornicatur in hunc morem: Inep. 25.

Si verum ſciviſti rumorem (inquit) *male inter fabulas rejeciſti; Si falſum, contra conſcientiam egiſti: Si ambiguum, peſſime feciſti, quod rumorem incertum publicum feceris.* Papæ! jugularat hominem! quis non Neptuniam prolem hic agnoſcat ex hoc tridente? ſed aqueus eſt & ſpumeus, unde facile dilabitur. Ego contra ſic dicam:

Si verus eſt rumor, bene feci quod eum rettuli: Si falſus, tum bene feci quod inter fabulas rejeci. Si dubius, veriſimilis tamen, tum non male feci quod eum rettuli ut incertum, veriſimilem tamen, ut Walachros illos Sanctos & ſpirituales Cenſo-

 res,

res, officii admonerem, & docerem cautos esse.certe qui salivantem Vlissinganum videat,confirmabitur magis, aliquid monstri illic extitisse; pręsertim cũ ipse jã adscribat:

Si tale monstrum fuit,ego ejus parens non fui. ut non tam factum neget, quam indulgentiam Heli excuset; quia parens illius non fuerit: in quo aperte etiam ineptit, si ex Apollonii centonibus judicari velit: is enim præter naturales patres; fingit omnes prædicatores esse patres Spirituales, & jus virgæ habere in Christianos; more Papali. Quod si verum sit, dico ad Bombomachidem quoque illam culpam dimanasse,quod oscitantiam funestam Heli hic imitatus sit, dum in rem tam portentosam non inquisiverit, vel animadverterit, jure Patris spiritualis: nisi in hoc versetur patria potestas Walachra, ut pios & bonos sibi exosos,tanquam virgiferi reges vexent; malos vero & publice scandalosos vel ignorent, vel publice tueantur gladio suo Spirituali, quod in Grallis monui: cujus rei Petrus Lansbergius in Grallatore tam illustre documentum exhibuit in Apologia tertia Mittelburgi edita,ut in pleno amicorum consessu mirati sint,hic tam feliciter resciville me,quid monstri alerent Walachri injuriosis centonibus

nibus editis in Vedelium nostrum. nimirum ut quasi novi papatus seminium spargerent per provincias Unitas de mira & speciali sanctitate ecclesiasticorum; unde necessario oriretur politicæ potestatis contemptus & ministrorum ecclesiæ ἀνυπόταξις : ut Mystæ omnes Papę in morem sine arbitro, & vindice peccarent : quod sæpe præmonui intendere Grallatorem cum aliquot suis Walachris ; & de ecclesiasticis Censoribus in genere ominatus fuerat noster Vedelius, Walachrorum nescius ; quem proinde (ut nunc usus docet) Walachri Spiritualium suarum nequitiarum conscii & grandia spirantes, perstrinxere indignis modis; adornato Grallatore, qui liberius illi malediceret: nobis vero pietatisque amantibus manebit nunc exemplum in Grallatore, Walachræ sanctitatis specialis juris (quod sæpe monui) iniquitatis mysterium in eo consistere, ut sub sacræ ecclesiasticę censurę velo, quorumvis honori, bonis ac vitæ illudant, sibi vero contra, peccandi, & quidvis malefaciendi impunitatem procurent : id certe in Grallatore nunc comprobat Walachra Spiritualitas ; ut qui mendacii, obtrectationis, blasphęmiæ, odii, infamiæ, fraudis omniumque maleficiorũ publice convictus & com-

 pertus

pertus ſit, & pæne Chriſtiani nomine indignus; defendatur tamen, ac ſi inſons nulliuſque mali conſcius eſſet: haud ignorantes quaſi ex cryptis proſilire undiquaque veterum ejus nequitiarum, & injuriarum indices ac vindices: quibus litterarum Indicarum Grallatoris, ſpurca ſcurrilitas ab me nunc acceſſiſſet; ſi exemplar Amſtelodamo promiſſum fuiſſet ad manum. Unde jam vident mecum boni myſtæ & magnates; quid futurum tandem ſit de talibus religionis ſacrorumque cuſtodibus; quales ſe jactant Walachri: videlicet, ut oppreſſis per vim & contumeliam vere piis, & ab eccleſia fugatis: tandem eccleſiæ noſtræ nil ſint quam hypocritarum & malorum hominum concurſus, ubi fraudum & nequitiarum inventor & excultor ſit Grallator Walachrus myſtes, paſtor & ſacrorum antyſtes: qui ſuo exemplo & monitis, doceat omnes ſuas oves, infami & indigno more, ſimulare ac fraudum omne genus exercere. Quid hoc eſſet aliud quam religionem prorſus exterminare? & hominibus perſuadere Lucretianum in morem, ut dicant cum impiis Pſal. 14. non eſt religio, non eſt Deus: hæc in Grallis

mo-

monui præſagus, nunc exemplum oſtendo in Walachro Grallatore: ex quo videant Magiſtratus pii tempus eſſe ut ſacrorum religioniſque cuſtodiam ſibi quoque ſumant; perituræ, ni Apollonianis cenſoribus has partes eripiant, vel ſaltem in totum non committant. Sed ſequatur nunc alia ineptia.

Laren. pag. 38. Carpit in me ſcurrilitatem, *& putat me nimis turpibus phraſibus uſum eſſe*, in quo, cum illo paſſim glocitat Grallator. Sed mere ineptiunt. Inep. 26.

Reſponderam in Bombomachia non eſſe ſemper ſcurrilitatem, ſi quis obſcenis vel facetis verbis utatur ad carpenda turpia & ridicula; quod probaram exemplo Eliæ, & Marnixii; uti nunc addo Malachiæ. ubi Deus ipſe nævos ſacrorum vocat ſtercus feſtorum: Reſpondet me non eſſe conferendum Heliæ. fateor; ſed talis equidem fuit Helias, cujus exemplo tuto nobis liceat uti ad carpendos religionis corruptores hodie.

Sed excipit: *Heliam in Baalitas; Marnixium in Papiſtas merito invectos eſſe: me autem in veram religionem, & miniſtros fideles incurrere:*

 Ve-

Veram religionem certe & pios ministros in Walachria esse speramus : sed qui Apollonianam novam Hierarchiam & papisticas Sanctitates Specialis juris, pro vera religione & sanctitate æstimet; ac pro orthodoxis & fidis ministris habeat, qui eam cum contumelia defendant, is papatum pro vera religione censuerit; & veros pastores facile dixerit, qui lupinam pellem auriumtenus sibi aptarint : non est virtus modo revocare, quos jam in fovea aut exitii crepidine videas: sed eos quoque, quos error recens à via traxit, & longius ni moneantur diduxerit. Quis non miretur Vlissinganum, à colo vel fuso sumsisse audaciam, Clariss. Marnixii facetiis, imprimendi censurarium stigma? ita insipidum est quidquid Walachris Archimagiris non sapit. Certe si veterem papatum, non injustis sannis perstrinxit Marnixius, quia ineptus & ridiculus papatus erat ; non sunt indecori quoque nedum scurriles joci, quos edidi in Apollonianam fictam sanctitatem : quia & hæc papatus est, & ad papatum veterem recta digreditur. De his late respondi ante hac Walachris asinis, dum inter mendacia hanc calumniam discussi, sed quia de eadem re aliquoties uterque cornicantur, idem nunc

nunc repeto; prȩsertim cum novissimo rapsodo, (adversus D. Petrum Lansbergium edito) audacter concionetur Vereanus falsarius p. 17. me in contemptum cœnæ asseruisse, quod *pistor, famulus, ac corbis, sacra sint, quia sacrum cœnæ panem tangant*; & ut prædicationi Dei verbi illudam, me statuere, *Cathedram, pallium, immo adhærentes sordes, & stercora sacra fieri, ob sanctitatem prædicatoris*; quis veritatis vim in illis Walachris mendacibus non videat? antehac eruditis audebant illudere, & quasi Delphici Apollinis oracula magnatibus fundebant, ad triarios nunc res devenit; inter vetulas salivant & ex colo fusoque concionantur; quid illinc expectes prȩter mendaces ineptias? qui latinitatis periti Grallas legerunt, vident me prorsus contrarium docere; nimirum non licere hominibus commodi honorisque causa vere sacrorum sanctitatem per consequentias & dependentias, protrahere pro voluntate & arbitrio: & quid mali ex hac licentia ortum sit, ostendi in Papistis; ubi sacramentum cœnæ non tantum pro sacro & sancto habetur, sed locus, altare, velum, Calix, Ciborium & alia quæ superstitiosi venerantur; non prædicatio solum sed prædicatores quoque;

in

in quorum ſanctitate non ſubſiſtens ſuperſtitio, effecit, ut togas, caputia, interulas, immo fæmoralia pæne Monachorum, venerentur ſtulti viri & fæminæ; imprimis in Papa hoc videre eſt, qui cum ſanctitatum omnium apud illos culmen ſit: quis non videt conſequentiaria hac licentia, Romæ natas eſſe innumeras ſanctitatum nugas? ut jam domus, conclave, cathedra, cidaris, corona, gladius, veſtis, crepidæ, imo muli, aſinæ ac veneres fere Papæ, omnes ſpirituales & ſacræ ſint: hanc lepram quia in novo illo papiſta Walachro aperte invenirem: ut conſequentiaria, ac dependentiaria ſacra, quoque venaretur; unde eccleſiaſtico ſuo choragio primo, dein ſibi ſanctitatis jus conciliaret, & vitiis ſuis tandem patrocinaretur; ſumſi in exemplum hæc duo, quæ in cultu noſtro, ſanctitate & uſu apertiſſime eminent, *Cœnam* & *Prædicationem*; & oſtendi ſi conſequentiis ac dependentiis agere licitum ſit quidquid Grallatori libitum fuerit; neceſſario ad illa obſcena & turpia deventura eſſe (ut apud papiſtas) ſacerrima religionis noſtræ negotia: non probans illa (quod mentiuntur Walachri) ſed improbans ac dete-

deteſtans papiſticum dogma Grallatoris ; quo recepto, in Eccleſias noſtras tandem conſequutura ſint, tot ſuperſtitioſa & nefanda quæ apud papiſtas videmus, & riſu non minus quam rationibus disjecit Cl. Marnixius in Apiario ſuo: jocandi exemplo ſumto ab Helia, Malachia, & aliis, à quibus ego quoque mutuatus ſum. Quod factum cum in illis nemo merito reprehēdat, relinquendi igitur ſunt illi Walachri curculiones ſuis ineptiis, quorum ne plena quidem centuria unumMarnixium expreſſerit, cujus umbra poſt mortem plus valeat exterrendis Papis, quam centum Apolloniana corpora: mihi ſemper placuere illius viri joco-ſeria, non minus ſevere faceta, quam graviter ludicra; quibus (ſi unquam alius) lethale vulnus inflixit, fictis & ſuperſtitioſis papiſtarum ſanctitatibus. Credat nunc qui volet, Walachris veſpertilionibus; ego ejus veſtigiis inſiſtens novis illis papiſtis indicavi, quorſum evaſuri tandem eſſent, ſuis ſanctitatum novis inventis & commentis; nimirum quod nunc effectus comprobat in Apollonio, ut tantæ dignitatis fiat *Authoritativum pallium*, & ſpecialis juris ſanctitas prædicatoria; ut ſi odii, obtrectationis,

tionis, falsitatis, blasphæmiæ, fraudum, sacrorumque omnium contemptus convincatur, comperiaturque, publico ecclesiæ scandalo, tamen plus valeat hæc sanctitatis larva quam omnes sacrosanctæ Christi leges, omnis juris æquitatisq; contemptus, totiusque ecclesiæ ac religionis reformatæ, contemeratio: quod malum si grassetur; non extabit alibi tam turpis spurcities, quę nō huic turpi religionis corruptelæ longe sit postponenda. Sed finē nunc ponam ineptiis, & faxo ut vicissim ineptiant, & venusto coccismo inter se consonent, uterq; Walachrus cuculus.

Inep. 27 Grallator ubique par Bombomachidi; se excusat, quasi conscientiæ integer nemini libens convitium faciat, aut quidquam nisi bene conscius, alicui maledicat: sed non minus ineptit in hoc, quam si, fuliginem carbonarius, aut lutum ab se sus removere velit: duobus exemplis id nunc ostendo, Uno, D. Petri Lansbergii, de quo editis illius viri Apologiis nunc constat: altero D. Erasti, cui ut tanquam profano & veteri hæretico merito maledicere videatur, ridiculum commentum obtrudit Jesuitarum more Epist. pag. 43. *sibi scilicet a reverendis collegis senibus narratum esse, qui id à superioris ævi ministris senioribus acceperant; Erastum illum*

illum à Cana suspensum esse ob suspicionem Arrianæ perfidiæ, & ebrietatis scandali. Quis non videt illum Walachrum mendacem hoc commentum excogitasse, vel à mendacibus collegis(à quibus forte mentiendi hancMechanicam didicit) accepisse? Clarissimorum virorum Gualteri, Bullingeri, & aliorum testimonio id facile ostenditur,quos constat Erasto, coëtaneos & familiares fuisse; ut non modo contra Bezam aliosque ejus doctrinam, vitam, & mores defenderint: sed ne quidem aliquid tale, à Beza aliisque ejus adversariis, unquam prolatum sit contra Erastum; cujus criminis sola suspicio, tam insignes viros ab Erasti patrocinio absterruisset : ut hic ineptiam rursus prodat Grallator, dum mentiendi artifex, tamen non cogitat, quam oporteat mendacem esse memorem & circumspectum.

Sed jam Bombomachides ineptiat.

Ep.2.p.32.33. Multum iterum salivat, quod dixerim, Walachris hoc vulgare esse, ut privatorum fratrum, aliorumque delicta libenter carpant, sed sua carpi non patiantur; ad quæ exclamat : *egone hoc unquam negavi? ostende locum!* Inep. 28.

Quam optandum sit aliquid nunc accedere Vlissinganui, de memorandi virtute

Gral-

Grallatoris! qui inde ab Erasti & Bezæ sæculo, omnia per traditionem memoriter tenet: huic nunc mentem dicas excidisse, dum jam ignorat ea quæ ante triduum pene scripta ab illis sunt: tot certe locis ampullatur de necessitate, divinitate, & usu disciplinariæ censuræ ecclesiasticæ, dum putat, porcis, canibus, & corvis, omnia plena fore in ecclesia, nisi censura tanquam virga grassetur; ut vix locum invenire possim huic operi, si omnes locos annotassim: quidquid tamen de salutari illo censuræ remedio garriat; id semper phrasi papistica accipiendum est; ut censuralis virgæ non alius usus sit, quam ut mystes hac feriat, non feriatur: esset enim illi paradoxum, si aliquis quam prædicator, armatus esset virga, gladio, & compedibus; quibus tanquam speciali jure sacris, cum careat populus, & imprimis Magistratus ob carnalitatem, quis dubitet, extra censuralis virgæ ictum esse prædicatores: quis enim eos feriret? an populus? at is caret hac virga propter vilitatem; an Magistratus? is quoque ea destituitur ob profanitatem: ergo nil superest quam ut mutuo se flagellent, virgiferi reges Walachri:

lachri: Isthmum fodias potius, quam hoc absurdum extorqueas: exemplo sit Walachrus Grallator; etsi enim errores, maledicta, ac malefacta in lucem producta sint, sic ut nemo nisi cæcus non videat: quantum illic hominum litigant! quasi annona cara sit in Walachria, certamen litigandi & maledicendi edunt Spirituales censores, & clerum plerumque, Archontas, lapides, imo superos inferosque testantur de accepta injuria: adeo ut si ullius criminis arguas, non censuralis digiti modo pressura, sed vel halitus videatur esse intolerabilis illis sericariis Walachris.

Jam ineptiat iterum Grallator.

Epist. pag. 91. indignatur quod illi exprobrarim in scriptis Jesuitarum plus quam sacris Scripturis versatum, inde in papatus Hierarchici commenta prolapsum esse, ad quæ Thrasonico voltu, *nescit iste homo quæ sint mea studia* inquit; *gloriaturque se more martyris aliorumque in Jesuitis ut hospitem versatum, & se una concione horaria, plura S. Scripturæ loca proferre, quam in totis Grallis appareant. ineptia mera!* Inep. 29.

Quis credat Martyri similem Grallatorem in Jesuitarum scriptis hospitem tantum

tum fuisse? qui in castra eorum transiit tam crebro & infeliciter, ut explorator esse volens, tandem factus sit transfuga, Clar. Martyr papistarum scripta ita legit cum sacris scripturis; ut in papatu cum honore versans ab eo dein aufugerit; non transfuga, sed explorator & strenuus Papæ debellator dein factus.

Jactat de S. Scripturæ creberrima in declamationibus allegatione; quid illius verum sit, penes auritos testes judicium esto: mihi nunquam valde in pretio fuit ille mos, à quo forte Vereanus sibi fastum sumit, nullo delectu, capita versusque sacri operis ex concordantiarum catalogo indicare; ut quasi arithmeticus logistes, numeros meminisse se glorietur, si verba teneret. Qui Christi Apostolorumque conciones quotquot extant in N. T. diligenter volvat, videbit, eos hanc πολυπραγμοσύνην, neglexisse; ut nec versum, nec caput, ac plerumque ne librum vel authorem nisi raro exprimerent; hoc solo contenti, quod vel verba scripturæ sacræ præcise, vel quoad sensum auditoribus proponerent: inter modernos reformatos, ad populi auram, & fastum paulatim omnia magis magisque com-

componuntur à prædicatoribus, dum vident rudi plebeculæ, mirandum esse & laudandum, quod capitum versuumque numeros sine delectu, & numero, sæpe citet prædicator & numeret: non improbo, nedum ut damnem; quidquid ædificandæ ecclesiæ rite excogitare possit usus: sed ne quid nimis! ne dum Dei negotium agere jussus Mystes, & Christianorum ædificationi servire, suo honori & captandæ auræ populari præcise incumbat: non est artis nedum probitatis statim, scripturæ capita, versus, ac verba quoque confuse promere; ab hac probitate se ipse mendacissimus diabolus extrudi nolit, qui scripturæ sacræ detortis allegationibus, Christum ipsum tentando, vexasse legitur Mat. 4. quis hæreticorum catalogo statim deleri se postulet? quia scripturæ sacræ libros, capita, versus & verba multa personet, tanquam dodonæum æs? Memini alicubi in Libertinis, Quintino, aliisque non invenuste taxare Calvinum, quod scripturæ sacræ locis, & verbis copiose uterentur ad rudem plebem primo capiendam; & tamen notat eos tam id absurde & confuse facere solitos, ut non magis quam *stercus capril-*

lum (ut loquitur) cohærerent, quæ dicerent. Sed de hac ineptia satis. prodeat iterum Bombomachides.

Laren. Epist. p. 57. inter ineptiarum ac convitiorum farraginem, hoc ultimo mirifice exaggerat, tanquam *non tolerandam superbiam : quod de fideli Dei servo Apollonio dicam ; præcipuum ejus intentum esse : non salutem animarum, sed victum, honorem mundanum, & vindictæ cupidinem ; quasi ne micam veri Dei timoris habeam, quod de occultis cordis ejus audeam pronunciare quæ soli Deo putet esse committenda : anilis iterum ineptia !*

Si possem credere, tantum mundani salis esse, sub anili calantica, quantum sub papali mitra, autumarem simulationem hęc dictasse Bombomachidi ; nunc quasi redinfantiæ tribuam quod perpetuo se, non me carpat calumniando. Si colum Vlissinganam consulas ; intolerandam superbiam committit, & quasi καρδιόγνωσιν Deo eripit, qui de occultis cordis alicujus judicat : id si tam verum est quam clamat Vlissinganus, tum nemo non videt hic, intolerandam superbiam Walachrorum Mystarum! quorum mechanicam esse constat, de conscientiis ignotorum & bonorum rhadamantizare. unde se ipsum

ipſum hic audiat Bombomachides. fatetur ſe non noſce qui ſim, attamen aperte clamat; me *ſcurram*, *libertinum*, *reformatæ religionis hoſtem*, imo *Blaſphamum atheum* eſſe: an non de corde & animo alicujus judicat, qui aliquem fide carere clamitat: corde enim creditur ad juſtitiam: ut certe cor meum fidei vacuum eſſe cenſeat Vliſſinganus. Si ſalivando filum diducere eſſet ratiocinari, nuſquam academias celebriores compereris, quam in vetularum linificiis: Si hæc necdum intelligit; audiat Grallatorem ſuum! qui ſic de me judicat, Ep. p. 90. *quod reluctante conſcientia, & proprio judicio condemnatus ſim.* & p. 71. Sic de me exclamat: *quas furias in illo tot ſcelerum conſcio pectore ſævire remur? quas intentari faces? quos ſtimulos impingi? &c.* Hoc eſt ſcilicet occulta cordis Deo committere! quis non videt illos Walachros inſtar Cimbalorum tinnire quod neſciunt? ab exlege illo Papa mutuati ſunt γνωμολογίας, quod mechanicæ huic adſueverint: nimirũ ut terreant mulierculas & ſimplices homines, de *claudendo cælo*, *aperiendo inferno*, *de diaboli* & *furiarum facibus*, *de Sardonio riſu*, *de animi moderatione*, *de fuga maledicentiæ*, *de non judicandis cordibus* & ſimilibus, venuſte fabulantur; quibus ipſi non plus

 quam

quam figmentis credant. Simulac enim ad rem ventum est,& fors tulerit; nemo apertius omnes has leges contemnit; ut quidquid in alio damnant, quisque illorum indignissime, commiserit. Antichristi est ille Spiritus! qui tanquam privilegio hoc gaudet, ut omnes possit judicare, at nemo illi impune dixerit, quid facis?

Sed jam porro dicam non bene sternutasse Vlissinganum, priusquam hoc paradoxum effutiret, *non posse ullo modo de occultis cordis judicari*: si id prudenter & ex apertis signis fiat, non magis peccabitur, quam si juxta Christi legem ex fructibus judices quæ intus virtus arboris sit: audiat Psaltem Bombomachides! Psal. 14. *impii* (inquit) *loquuntur in corde, non est Deus*: quid hoc? an cordium scrutatorem se facit & Deum? nil minus! sed ex publica impietate quam ostentabant, colligebat intus cor quoque esse impium: jam hic videat Bombomachides multiplicem ineptiam; clamat de cordium occultis judicari non posse, quod scriptura sacra & ratio negat: me vociferatur in corde impium esse, quem videt veræ religionis patronum & amicum, dum nonnisi Walachras corruptelas,

telas,

telas, & novi papatus bdelugmata pro meritis perſtringo: ſe ſuumque Grallatorem putat integerrimi cordis eſſe; & pium Myſtem; quem jam multoties vidit, papiſmum hierarchicum cudiſſe, & ſuis ſacris ita luſiſſe, ut nil quam faſtum, & commodum hujus ſeculi, inde venari videretur. Non dubito quin ſimplicitatem Vliſſinganam tacite ſecum rideat Vereanus, quam videat tantopere contendere, de re nimis jam nota. Sed ineptiat iterum Grallator.

Is certe melius ſibi conſcius quis ſit. Inep. 31. Epiſto. pag. 2. 3. implorat patrocinium Collegarum, & imprimis Claſſicorum, inſolita humilitate poſtulans, ut ſe in hac cauſa non deſerant; *ære illo teneri* dicit *Walachros, & hoc ſe publice manifeſtare ut mundus videat, quomodo hoc debitum perſolvant*: ſentiebat ſe multorum maledictorum, & malefactorum reum eſſe, ad quæ occultanda videbat nil convenientius in præſens, quam ut omnes Claſſicos, in ſuum patrocinium raperet: in Bombomachide anilem inſcitiam ex ſimplicitate facile videas; is rem non bene expendens defectu Judicii, animi tamen (ut ſpero) integer, clamat ſe

non Walachris modo, ſed Zeelandis,immo omnibus reformatis ὁμόψηφον & concalcularem eſſe: Grallator non immemor propoſiti, & quam diſſentiat ab omnibus fere reformatis; ab ſimplicitate & teneritate Collegarum & Claſſicorum, expectat unicum patrocinium; quibus perſuadere nititur ex ſyngraphæ jure, obſtrictos eſſe omnes, ut erroribus & maleficiis antè non bene agnitis, tamen patrocinentur.

Mihi hæc legenti ſtatim obverſata eſt Æſopi fabula, de vulpe quadam callida; quæ ob rapacitatem laqueo ſuſpenſa,evaſerat tamen, ſed abſciſſa cauda; cujus dedecore triſtis, ac volens ſe ab hoc pudore liberare, narrat eam acceſſiſſe ad alias vulpes, & ſedentem (ut fædam ani nuditatem tegeret) multis diſſeruiſſe, in collegio vulpium, quam nec utile, nec decorum eſſet, eas caudam tam magnam geſtare, quippe quæ oneri eſſet, & dedecori, quam nunquam ita poſſint cuſtodire, quin luto, ſordibus, & inſectis onuſtam poſt ſe traherent: cujus orationis finis erat, ut caudam ſibi omnes præciderent: ſed cautior quædam vulpes, contra differens, perſuaſit reliquis, ut ſervata quiſque ſibi cauda, nuditatem fædam excau-

excaudi illi vulpi relinquerent cum ludibrio. Non aliter Grallator Vereanus sentiens, ob inconsideratum fastum sibi abscissam Hierarchiæ caudam, qua antehac nimis superbierat; conatur persuadere suis Classicis; ut tanquam excaudes simiæ, honore orthodoxiæ nudatæ; dein pergant secum turpiter sine cauda oberrare: si ab me consilium petant Classici Walachri; suaserim ut quisque servato sibi honore relinquant illum suæ nuditati; ut qui ante deceptis & spretis collegis, ob novi papatus audaciam, caudam dedecoris amiserit, solus quoque nudus nunc, & sine cauda oberret. Quis finem inveniret ineptiis Walachris recensendis? unde nunc desinam numerare hac faceta ineptia, si pauca de Latinitate Apolloniana adjecero.

Coercivus putat esse contractum pro *coercitivus*: si liberum fuerit novo huic Grammatico, pro libitu contrahere, cur non scribit quoque *bombivus*, contractum pro *bombitivus*. vel *posivus* pro *positivus*? *urbem tenui tibicine fulciri*, dixit Juvenalis non male; quia Tibicinis custodia fulsit urbes, sed *orationem debili tibicine fulsire*, qui imperite disputat; *vel laxis soccis frigidam suffundere*;

 nusquam

nusquam lectum memini, nisi ubi cothurnis incedere volens superbus disputator, puerili more gralletur.

Vox *impertiuntur*, passive usurpata est à priscis; quod Grallator ignorabat Grallas scribens, & ipse quoque Bombomachides cum suscepto Grallatoris patrocinio locum proferebat, in quo neutra, & deponenti significatione accipitur; quod tam accuratum criticum non decebat: præsertim qui nosce poterat, raro ob ambiguitatem, passiva voce accipi, verbum, quod deponenti significatione in usu est, atque id notandum potius, quam imitandum: sed nolim in minutiis frustra pertinax esse (ut cavillatur Bombomachides p.60.) modo absit Barbaries: *Ubi plura nitent in carmine non ego paucis offendar maculis: quas aut incuria fudit. &c.* sępe rebus magnis intenti doctiores, ad verba minus attenderint; quid hoc pro Grallatore? qui censurariis nugis ita incubuit, ut effutiret illud Grammatica censura dignum, *pudor igitur ille salutaris de peccato qui à peccato retrahit &c. finem & effectum esse excommunicationis certum est.* de jur. majest. part. 2. pag. 24. si illa attentio viros doctos decet; male faciunt pædagogi quod

virgis

virgis cedant pueros, dum lusibus intenti, similes solæcismos admittunt. Nimis multa nunc fateor dixi de *Ineptiis*, *Mendaciis*, & *furore* Grallatoris. ac Bombomachidis, nil responsurus, nisi insignium virorum & eruditorum familiaritas, amicitiæ hoc dedisset, ut taceri nollem, quod in Walachris merito rideri posset: quanquam certe indecorus semper mihi sit risus, qui non Ecclesiæ ac reipublicæ bonis inserviat. Nimis funestum fuerit, hoc tempore, papalem hierarchiam tyrannicam, omniumque errorum & superstitionum fontem, & imprimis politicæ potestatis ac Majestatis contemptricem, nostris ecclesiis advenire; ut papatui propius accedamus, dum papistæ ob liberius commercium, nobis accedant propius: Absit! ut politica potestas architectonica, ecclesiasticis fascibus & virgis subjiciatur, præter divinum, Christianum, ac gentile jus. Hæc Antichristi rabies fuit, ut ex primis quasi Ecclesiæ secundinis; superstitionis culeum aptarint ecclesiastici pelliones; cui paulatim in volverunt non laïcos modo sed superstitiosos politicos & magnatès, ut non aliter quam olim detestandis paricidis accidisse apud Roma-

Romanos narrat Cicero ; hi quoque ita huic Culeo inclusi, nec ignis, nec aeris, nec aquæ aut terræ , liberum habebant usum sine clericorum arbitrio ; unde jam tritum est misellis illis sub Papa, ut nec terræ, nec cæli usu liberè fruantur nisi quantum togatis fucis , libeat permittere, ac quasi per Siphonem , respirent ; tantillo aeris , qui fædo bdelugmatum spiritualium fætore pestilens , perpetua vertigine eos cogat suæ servituti indormire : desciderat olim culeum illum Lutherus , & Dynastas libertati à se restitutos monstrato libertatis jure , illam perniciem fugere docuerat ; quem deinde imitati sunt multi ex primis reformatoribus, donec tandem novatores quidam veterum satur, ex papistarum secundinis, & Romanæ meretricis lanificio, telam occepere de novo , raro subtemine ; ex qua saccum conficere conatus est Grallator suis centonibus , cui veterem in morem iterum includeret politicos : jamque id perfecerat in Walachria dolus & persuasio; ut non saccum modo ingressi , in eo starent illic politici , sed jam in genua fere subsederant quidam dynastæ , instantibus Grallatore , cum suis ; uti specialis juris sanctitati , id